

DE

AUCTORIS BELLI HISPANIENSIS

ELOCUTIONE ET FIDE HISTORICA.

SCRIPSIT

Dr. JOSEPHUS DEGENHART.

WIRCEBURGI.

IN AEDIBUS ADALBERTI STUBERI.

1877.

TYPIS THEINII (STUERTZ).

MARTINO SCHANZIO

PRÆCEPTORI OPTIMO.

CORRIGENDA.

Pag.	3	vers.	5	pro	in.	leg.	in
„	16	„	31 et 32	„	inte-ritio	„	inter-itio
„	26	„	1	„	et	„	ex
„	26	„	33 et 34	„	potes-statem	„	pote-statem
„	31	„	26 et 27	„	praete-ritum	„	praeter-itum
„	33	„	25	„	impedire	„	impediri
„	40	„	7	„	$(27_{,14})$;	„	$(27_{,14})$
„	48, A 1			„	epit. $IV_{,2}$	„	epit. $II_{,13}$ $(IV_{,2})$
„	52	vers.	11	„	καταμαγέντος	„	καταρραγέντος
„	59	„	30	„	epit. $IV_{,2}$	„	epit. $II_{,13}$ $(IV_{,2})$
„	60	„	29	„	ob	„	ab

PRAEFATIO.

Libellus, qui inscribitur ‚bellum Hispaniense', inprimis duabus de causis animos nostros in se convertit cognitioneque dignus est: et quod orationem a solito dicendi genere nimium quantum abhorrentem exhibet et quod plurimas res, quae a ceteris scriptoribus aut diverse traduntur aut plane omittuntur, conscriptas tenet. Cum autem nescio quo pacto ad tempus neque tota dicendi ratio, quam in eo adhibitam invenimus, accuratius tractata (cfr. Woelfflin, philol. XXXIV p. 146) neque ulla quaestio de eius auctoritate instituta sit, laborem haud irritum suscepisse mihi videor, si primum omnes elocutionis proprietates collegi collectaeque utrum scriptori soli peculiares an ad vulgarem sermonem referendae essent, quantum pro mea parte poteram, diiudicavi; deinde quid de fide eius historica esset statuendum, memorabiles locos perscrutatus exposui. Qua in re Nipperdeii editionis (Lipsiae

1847) scripturas ita pro fundamento posui, ut ex recentiorum coniecturis nonnullas sim secutus, ceteras partim aperte refutaverim partim, utpote minus verisimiles, silentio obruerim. Velim mihi contingat, ut hac iuvenili opera ad ‚bellum Hispaniense' bene illustrandum aliquid conferam!

I.

De elocutione auctoris belli Hispaniensis.

Oratio incerti auctoris belli Hispaniensis non solum omni splendore ac granditate, sed etiam omni lenitate et elegantia ita caret, ut non iniuria rudis, horrida inconditaque esse dicatur [1]). Nam res gestae enuntiatis brevibus, praefractis, omni ornatu nudis ex diarii more magis enumerantur quam narrantur. Ac tamen hunc scriptorem, quem ex magna siccitate et duritate dicendi laborare negari non potest, videmus interdum ad grandem ac numerosam orationem assurgere conari. Inprimis insertas orationes (cap. 17 et 42) et proeliorum descriptiones nimis altas et exaggeratas esse apparet ex his exemplis:

17,3 ,qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisque temporibus gladiorum ictus telorumque missus exspectantes, relicti et deserti a Pompeio, tua virtute superati salutem a tua clementia deposcimus'. — 42,2 ,insequenti praetura ampliato honore vectigalia, quae Metellus imposuisset, a senatu petisse et ea pecunia provinciam liberasse simulque patrocinio suscepto multis legationibus ab se in senatum inductis simul publicis privatisque causis multorum inimicitiis susceptis defendisse'. — 5,5 et 6 ,dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur, fluminis ripas appropinquantes coangustati praecipitabantur. Hic alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant'. — 31, 6 et 7 ,Ita cum clamor esset intermixtus gemitu gladiorumque crepitus auribus oblatus, imperitorum mentes timor praepediebat. Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma' etc.

---

[1]) Cfr. Nipperd. praef. p. 30 et Madvig, advers. crit. II, p. 289.

Eadem verborum copia etiam (cap. 25) congressus Antistii Turpionis et Q. Pompei Nigri et (cap. 32) circumvallata Munda aliaque describuntur. Sed ad insolentiam nescio quam scriptor, si orationem pleniorem gravioremque consectatur, non raro incidit et hoc falso splendore aequabilitatem dictionis plane tollit. Omnino studium quoddam tumidi sermonis in toto libello — non solum ex universis enuntiatis, sed etiam ex singulis dictis — cognosci potest, cum verba idem vel aliquid simile significantia saepe coniuncta inveniamus.

a) substantiva: 3,4 ‚tempestate adversa vehementique vento'. 6,4 ‚in statione et in excubitu'. 8,2 ‚turribus et munitionibus'. 8,4 ‚aditus ascensusque'. 16,2 ‚in regione et in conspectu'. 16,2 ‚virgulta, crates' (cum Nipperdeio). 16,5 ‚facinus nefandum et scelus'. 16,6 ‚ad aras et focos'. 19,4 ‚tali virtute et constantia'. 29,4 ‚diei solisque serenitas'. 29,5 ‚res fortunaecque'. 32,2 ‚tragulis iaculisque'. 33,4 ‚pecuniam et argentum'. 39,3 ‚ad convallem exesumque locum'. 42,6 ‚fasces imperiumque'. 42,6 ‚agros provinciamque'. — b) adiectiva: 3,3 ‚notum et non parum scientem'. 7,2 ‚montuosa et natura edita'. 8,1 ‚impeditam difficilemque' (cum Dintero, Lipsiae 1876). 15,6 ‚nefandum crudelissimumque'. 25,6 ‚avidi cupidique'. 29,2 ‚palustri et voraginoso'. 29,4 ‚mirificum et optandum'. — c) adverbia: 8,3 ‚longe lateque'. 23,4 ‚acriter eximia virtute'. 30,4 ‚moleste et acerbe'. — d) verba: 16,3 ‚diruendas et incendendas'. 17,3 ‚relicti et deserti'. 19,3 ‚oppressam et iugulatam'. 31,8 ‚fusi fugatique'.

Similes verborum idem declarantium copulationes etiam apud auctorem belli Africani, quem magnae in dicendo ubertatis cupidum fuisse constat, saepissime leguntur[1]). Ad idem tumidae orationis studium sunt referendi hi loci: 8,4 ‚Item oppidorum magna pars montibus fere munita et excellentibus locis est constituta'. 9,1 ‚quod eodem iugo tegebatur loci natura'. 16,4 ‚tamen virtute freti repulsos multisque vulneribus affectos oppido represserunt'. 22,6, Potestate data, cum inde esset profectus, praesidio comparato, cum bene magnam manum fecisset .... iugulationem facit'. 25,8 ‚Ut nostros equites in receptu, dum ad castra redeunt, adversarii cupidius sunt insecuti'. 28,4 ‚demonstravimus, loca excellentia tumulis contineri'.

---

[1]) cfr. *Froehlich*, ‚Das Bellum Africanum' dissert. Brugg 1872 p. 17 et 18.

Praecipue vero commemorandum est hoc pleonasmi genus: 1,5 ‚maiores augebantur copiae'. Ceterum etiam alii scriptores cum verbis, quibus comparativi vis inest, comparativum insuper coniungunt: Cic. div. in Caec. 6 ‚ab omnibus se desertos potius quam abs te defensos esse malunt'. Cic. in. Pis. 7 ‚ut emori potius quam servire praestaret'. Veteres vero comici (Plaut. Amph. 301, 1060; Bacch. 500; Capt. 644; Stich. 699; Terent. Hec. 738 etc.) et auctor belli Africani (48,3 et 54,5) [1] et Valerius Maximus (III, 7,1) etiam ad comparativum adverbium magis addunt. — 4,2 ‚loricatos viros fortes cum equitatu ante praemisit'. (cfr. B. Afr. 50,4 ‚equitatu ante praemisso'; 86,5 ‚M. Messala Uticam ante praemisso'. Vide etiam Drakenborch ad Liv. I, 8,4). — 40,8 ‚Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit', cum Caesarem semel Hispalim revertisse constet. (cfr. B. Afr. 14,3 ‚rursus cursu renovato'; 18,2 ‚rursus renovatis animis'). — Si in capite 35,2 legimus: ‚Rursus Hispalim oppidum denuo noctu per murum recipitur', alterutrum adverbium aut ‚rursus' aut ‚denuo' supervacaneum est iudicandum. — 38,6 ‚pari autem et celeri festinatione'. Ex hoc loco elucet, etiam in capite 2,1 cum plerisque editoribus scribendum esse ‚celeri festinatione'. (cfr. Liv. III,54 et VI,12 ‚primum initium'; id. XXXVII,53 ‚extremum finem'; id. I,3 ‚rudimentum primum' etc.). Haec omnia pleonasmi exempla, cum apud varios quidem scriptores inveniantur, sed apud Caesarem et Ciceronem, orationes eius si exceperis, plane desiderentur, ad vulgarem dicendi rationem referenda esse apparet. Ad cotidianum sermonem mihi haec quoque spectare videntur: 18,5 ‚ut potius ad dimicandum descenderent quam signum fugae ostenderent'; 25,6 ‚ut prope videretur finem bellandi duorum dirimere'; 29,2 ‚Hinc dirigens proxima planicies aequabatur'. 3,7 ‚ut sileat verbum facere', etsi concedo nihil unquam simile ac ‚silere verba facere' me repperisse.

Etiam in his verborum coniunctionibus, quas item elegantes scriptores saepe praebent, abundantia quaedam deprehenditur: 8,1, ut longius bellum duceret'. (cfr. bell. civ. I,64,3 ‚bellum necessario longius duci; ibid. III,42,3 ‚longius bellum ductum iri'). — 24,3 ‚ut necessario cogeretur inicum locum subire', 32,1 ‚nostrique cogebantur necessario eos circumvallare'. (cfr. bell. civ. III, 49,4 ‚necessario loca sequi... coge-

[1]) cfr. *Fröhlich*, Bell. Afr. p. 18.

bantur'; ibid. III,78,4 ,necessario ... ferre cogebantur' etc.). — 11,2 ,et noctis tertia vigilia ... pugnatum est.' Vigiliae enim nullo alio quam nocturno tempore observantur. (cfr. Liv. X,40 et XXV,38 ,tertia vigilia noctis'). — 39,1 ,Pompeius saucius et intorto talo idcirco tardabatur ad fugiendum'. Hic adverbium ,idcirco' haudquaquam necessarium est, cum ipsum participium causam tardandi indicet. Ceterum etiam particula causalis ,quod' hoc adverbio amplificata nobis occurrit: 19,2 ,incenderunt, idcirco quod ventum oppidani secundum habuerunt'; 22,7 ,idcirco quod ... metu conterritos complures profugere in Baeturiam'. Apud Caesarem ,idcirco quod' nunquam, saepissime ,propterea quod' legimus (cfr. bell. gall. I,1,3; I,3,6; I,6,2; I,18,3; III,21,3; V,16,2 etc.). Simili modo coniunctioni consecutivae ,ut' verba ,sic' et ,usque eo' saepe addita sunt: 4,3 ,magnum proelium fecerunt, sic ut ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent'. 6,5 ,circumcludunt Caesaris equites et concidunt, sic ut vix in ea caede pauci effugerent'. 31,1 ,vehemens fiebat ... concursus, sic ut prope diffiderent victoriae'; 41,2 ,oppidum magna munitione continebatur, sic ut ipse locus ... impediret' (cum Dintero). 15,3 ,proelium facere coepit, usque eo ut caedem proxime a vallo fecerint'; 24,3 ,excelsum tumulum capiebat, usque eo ut necessario cogeretur inicum locum subire'. 34,1 ,discordare coeperunt, usque eo ut clamor in castra nostra perveniret'. (cfr. apud Caesarem ,sic ut' bell. gall. II,32,4; V,17,2; V,51,5 etc. ,usque eo ut' bell. gall. VI,37,2; VII,17,3 etc.). Paucis tantum commemorem creberrimum illum pleonasmum, qui nascitur, si praecedens sententia excipitur verbis ,id quod'. (cfr. 8,5; 15,1; 28,4; 29,6; 36,2). Neque silentio praetereundum est, scriptorem in primaria sententia, ut enuntiatum, quod insequitur, secundarium, quasi anticipando declaret, interdum pronomina ,hoc' et ,quod' (,ita') ponere: 8,1 ,Accidebat hoc, ut longius bellum duceret Pompeius'. 18,7 ,Quod difficile erat factu, ut eam turrem sine periculo quis incenderet'. 20,1 ,Quod Pompeius ex perfugis cum deditionem oppidi factam esse scisset, castra movit'. 36,2 ,Quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent'.... patitur'. 20,2 ,eisque ita imperavisse, ut diligentia adhibita perquirerent'.

Maxime scriptoris proprium est, pro simplici verbo duas voces ponere; ita a) ad vim verbi augendam solito saepius ,coepi' adhibet: 1,1 ,in fidem uniuscuiusque civitatis confugere coepit' pro

,confugit'; 3,2 ,legati petere coeperunt, ut sibi primo quoque tempore subsidium mitteret' pro ,petierunt' et 4,15; 5,3; 6,8; 9,2; 9,3; 9,4; 10,3; 12,5; 12,6; 13,1; 13,4; 13,6; 14,3; 15,3; 15,5; 15,6; 20,1; 22,4; 23,1; 23,5; 23,6; 24,1; 25,2; 25,3; 27,5; 30,8; 31,2 bis; 31,3; 32,8; 33,1; 33,2; 34,1; 34,2; 34,3; 34,4; 35,4; 36,4; 37,1; 37,2; 39,3; 40,7. Simili modo verbum ,coepi' etiam ab auctore belli Africani, apud quem infinitivus historicus maximas partes agat, [1]) saepissime additum invenimus. Velim ipse perlegas: 4,3 ,cum litteras, ut erat mandatum, Considio porrigere coepisset ..., unde, inquit, istas'? 6,1 ,castraque, unde Caesar egressus iter facere coeperat, occupant et eius agmen extremum insequi coeperunt,' et 6,5; 12,1; 14,1; 23,1; 26,8; 27,2; 28,1; 40,5; 41,1 etc. Idem dicendi usus in Petronii satiris nobis occurrit: 6 ,opportune subduxi me et cursim Ascylton persequi coepi'; 6 ,inquit, consurrexitque et coepit me praecedere' et 7 bis, 8, 9, 11, 12, 41, 70, 111 multisque aliis locis. Et ipse Cicero in primis orationibus, praecipue vero contra Verrem habitis, eundem pleonasmum praebet. Verr. II,22 ,Primo neglegere et contemnere coepit'; ibid. IV,29 ,minari coepit... clamare coepit' etc. — Itaque mihi dubium non est, quin hic usus vulgaris sermonis proprius sit.

b) saepissime per ,facere et idoneum substantivum' verbum simplex circumscriptum est: ,eruptionem facere' 3,8; 12,5; 12,6; 13,7; 16,1; 16,2; 34,5; 36,2; 36,4; at ex verbis idem significantibus nullum nisi ,excurrere' (21,2) et ,erumpere' (36,3) exstat. — ,concursum facere' 22,4; 23,6; 25,2; 31,1; nunquam ,concurrere'. — ,clamorem facere' 3,8; 14,4; 25,8; 30,6; 31,1; ,clamare' tantum 16,5. — ,deditionem facere' 20,1; 27,5; 36,4; ,dedere' 17,2; 19,5. — ,iactus facere' 9,3; (cfr. per iactus mittere' 15,6) ,iactare' 12,4; ,iacere' nunquam. Praeterea leguntur: ,iter facere' 4,5; 10,3; 27,5; 27,6; 28,1; 36,4; 37,2; 38,1. — ,proelium facere' 4,3; 14,4; 15,3; 23,5; 27,2; 31,5. — ,caedem facere' 15,3; 16,3; 23,7; 37,2; 41,1; (cfr. ,caedem administrare' 36,4; 39,2). — ,iugulationem facere' 16,5; 16,6; 22,6. — ,transitionem facere' 26,3. — ,verbum facere' 3,7; 17,1. — ,impetum facere' 14,2. — ,largitionem facere' 1,4. — ,funus facere' 31,9. — ,missos facere' 12,3; 13,5. Si etiam: ,facinus et scelus facere' (16,4; 22,1); ,opus facere' (13,4); ,manum facere' (22,6); ,vitium facere' (19,1); ,potestatem facere' (24,3; 26,5; 30,5) addimus, negari

[1]) cfr. Nipperd. praef. p. 22 et *Froehlich*, Bell. Afr. p. 28 seqq.

non potest auctorem faciendi verbum semper quasi in ore habuisse. At hic creberrimus usus non solum nostri scriptoris proprius est, sed in omnibus libris humili dicendi genere compositis invenitur. Nam si quis paucas Petronii satirarum sectiones diligenter perlegerit, ei persuasum erit, hoc verbum non rarius, sed multo saepius quam in nostro libello adhibitum esse. Equidem satis habeo quosdam locos maxime memorabiles proferre: 24 ,transitum facere'; 34 et 73 ,tengomenas faciamus' (τέγγειν) = bibamus. 38 ,auctionem facere' (cfr. B. Afr. 92). 19 ,mutationem facere'; 85 ,votum facere'; 94, 96, 132 ,mixturam facere'; 2, 4, 5 ,exitum facere'; 130 ,proditionem facere' etc. Inprimis cum adiectivis et participiis verbum ,facere' crebro copulatum est: 18 ,hilarior facta'; 19 ,frigidior factus', 83 ,divitem fecit'; 85 ,suspectum fecit'; 75 ,ringentem facere' multaque alia. Neque aliud in bello Africano nobis obviam venit; nam ut usitatas voces praetermittamus, legimus: $14,_1$,exspectationem facere'; $20,_4$,messem facere'; $78,_3$ et $_8$,impressionem facere'; $92,_1$,auctionem facere'; praeterea: $73,_1$,consideratiorem facere'; $54,_5$,missos facere'; $70,_5$,saucios facere' (noster auctor semper ,vulneribus afficere', cfr. $9,_3$; $12,_4$; $15,_4$; $16,_4$; $23,_2$; $23,_8$). Similia etiam apud comicos multis locis legi, ut affirmare non dubitem, faciendi usum in cotidiano sermone frequentissimum fuisse [1]). Immo vero ex ipsa singulorum verborum forma studium quoddam pinguis orationis demonstrari potest; sed cum universam verborum copiam huius scriptoris inferiore loco accuratius tractaturus sim, nunc has res exponere omitto.

Etsi igitur complures proprietates, quas modo commemoravi, ad humilem dicendi consuetudinem referenda sunt, tamen dubium non est, quin multae — inprimis copulationes verborum idem vel simile significantium — ex rudis scriptoris studio ac cupiditate orationis ornandae sint exortae. Si quis autem ex hac sermonis insolentia colligere velit auctori maximam verborum copiam in promptu fuisse, magno in errore versatur. Nos enim hunc libellum accuratius perlegentes fugere non potest, una et eadem verba saepissime repeti atque iterari, alia, quae non minus pervulgata sint, aut nunquam aut aequo rarius adhiberi.

---

[1]) cfr. *C. Fleischer*, ,observationes criticae de bello Hispaniensi', progr. Meissen 1876 p. 26: Est hoc proprium sermonis vulgaris, sicuti nostrum „machen" semper in ore est hominum rusticorum et plebeiorum.

Eiusmodi exempla sunt haec: ,adversarii' invenitur: 2,2; 3,8; 5,6; 6,1; 10,4; 11,3; 13,8; 15,4; 18,5; 20,4; 21,1; 23,2; 23,6 bis; 24,4; 25,3; 25,8; 29,2; 29,7; 29,8; 31,1 bis; 31,3; 31,4 bis; 31,7; 32,2; 38,5; 38,6 (cfr. Nipperd. praef. p. 24). Idem significans substantivum ,hostis' ad hunc numerum raro exstat: 1,5; 8,5; 17,2; 30,2; 31,2; 32,2 bis; 41,2. Si vero cogitamus, ,adversarios' ubique, ,hostes' quattuor locis (cfr. 1,5; 30,2; 32,2 bis), ,Pompeianos' interpretandos esse, quantum sit discrimen, eo magis nobis apertum est. — Substantivum ,praesidium' plus triginta locis legitur; a) significans ,Schutz': ,praesidii causa' 6,4; 8,6; 13,5; 22,1; 25,7; ,praesidio esse' 2,3; 6,4; ,praesidio habere' 2,4; ,praesidium capere' 38,6; ,praesidium parare' 39,1. b) ,befestigter Platz': 6,1; 23,7 bis; 26,6; 32,1,5; 41,1. c) ,Besatzung': 3,1; 4,1; 22,3; 22,6; 27,3; 35,1; 35,2; 35,4; 38,3. d) ,Besatzungstruppen, Truppen': 1,1; 3,2; 4,6 bis; 16,3; 18,4; 27,5; 30,1. Praeterea ,Streitmacht, Truppen' verbo ,copiae' exprimitur: 1,5; 4,5; 5,3; 6,1; 16,2; 25,1. — ,exercitus' autem raro exstat: 15,1; 26,6; 28,3. — Ad voces: ,zu Hülfe kommen, — schicken etc.' declarandas nunquam verbo ,auxilium', sed semper ,subsidium' utitur: ,subsidio esse' 24,5; 31,7; ,subsidio venire' 4,4; 7,3; 18,5; ,ad subsidium venire' 31,5; ,ad subsidium traducere' 31,4; ,subsidium mittere' 3,2; 9,1; ,subsidium repetere' 40,4. Omnino singularis numerus substantivi ,auxilium' nunquam reperitur; pluralis autem quinquies adhibitus est: a) = ,auxiliares copiae' 1,3; 1,5; 30,6. b) = ,copiae' 39,3; 42,6 [1]). — Solito crebrior est etiam usus substantivi ,conspectus' (cfr. 4,2; 18,5; 39,3), inprimis cum praepositione ,in' coniuncti. Nam ,in conspectu' legimus: 7,3; 8,6; 14,3; 15,6; 16,2; 29,4. (cfr. ,e regione' 5,2; 7,3; 16,2). Vide supra: ,iter — excursionem .... facere'. — Adverbia ,prope' 3,8 bis; 4,5; 14,1; 25,6; 26,2; 29,4; 31,1. ,fere' 3,1; 8,1; 13,7; 15,1; 34,1 inveniuntur, at ,paene' ne uno quidem loco. — Ut aliquid esse necessarium significet, semper utitur: ,necessario' 24,2; 26,7; 41,5; ,necessario cogi' 24,3; 32,1; nunquam autem adsunt dicta: ,necesse est, oportet, opus est'. Ceterum compara 7,1 ,ceterisque, quae ad oppugnandum opus fuerunt.' (cum Dintero). Quamquam non solum substantivum ,transfuga', sed etiam ,perfuga' legitur, tamen pro saepissime usurpato verbo ,transfugere' (cfr. 11,2; 18,3; 19,3; 20,2; 20,4; 21,1; 22,8; 26,2; 26,3; 27,2)

---

[1]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 19.

,perfugere' nunquam adest. Neque ,transilire' saepius quam semel (19,3) adhibitum est. — Maxime frequens est verbum ,recipere', cuius significatio est triplex: a) ,aufnehmen' 3,8; 4,3; 14,4; 16,3; 22,1; 22,8; 35,2; 42,6. b) ,wiedererlangen' 1,1; 22,6. c) (sich) ,zurückziehen' 4,3; 6,2; 16,8; 22,3; 25,8; 27,4; 40,1; 40,2; 40,7; 42,1. — Inprimis ea verba, quae ad humile dicendi genus pertinent, saepissime leguntur: ,iugulare' 15,6; 18,4; 18,5; 19,3; 20,3; 22,1; 22,3; 22,4; 27,6; 33,5; 35,4; ,iugulationem facere' (cfr. p. 5)[1].

Quin etiam in eodem capite eadem verba et pari et vario sensu adhibita ter, quater, quinquies offendimus:[2]) 5,4 ,Hic inter duces duos fit contentio, uter prius pontem occuparet; ex qua contentione cotidiana minuta proelia fiebant. .... Quae res cum ad maiorem contentionem venisset.' — 8,4 seqq. ,Item oppidorum magna pars eius provinciae montibus ... est constituta. Nam cum inter Ateguam et Ucubim Pompeius habuit castra constituta in conspectu duorum oppidorum, ab suis castris circiter milia passuum IIII grumus est excellens natura .... ibi praesidii causa castellum Caesar habuit constitutum.' — 9,1 ,Quod Pompeius, quod eodem iugo tegebatur loci natura, et remotum erat a castris Caesaris, animadvertebat loci difficultatem et, quia flumine Salso intercludebatur, non esse commissurum Caesarem, ut in tanta loci difficultate ad subsidium mittendum se committeret.' Confer, quaeso, etiam cap. 3; 13; 22; 31; 37 etc. Satis habeo haec exempla enumerare, ex quibus scriptorem eodem verbo iterum atque iterum usum esse certo apparet.

Omnem vero varietatem elegantiamque in sententiis conserendis et particulis utendis desideramus. Cum enim res gestae non ex causis aut rationibus, sed ex solo temporis ordine dispositae sint et perpetuitas narrationis sublata sit, inde sequitur, ut auctor ad sententias coniungendas usitatas particulas solito rarius, verba, quibus tempus indicatur, saepissime adhibere debeat[3]): ,eodem die' 11,2; ,hoc die' 26,2; ,eo die' 13,2; 27,3; ,ea nocte' 10,3; 20,5; ,eadem nocte' 18,8; ,vigilia secunda,

---

[1]) cfr. Nipperd. praef. p. 25.
[2]) cfr. *Fleischer,* observ. crit. p. 4 et 5.
[3]) cfr. Nipperd. praef. p. 28.

19,1 (12,4); ‚et noctis tertia vigilia' 11,2; ‚eodem tempore' 18,6; 19,1; 19,5; 20,2; ‚eodemque tempore' 16,5; 18,3; ‚idem temporis' 3,1; 12,3; ‚idemque temporis' 13,3; 20,4; ‚eius diei insequenti tempore' 15,5; ‚huius diei extremo tempore' 16,1; ‚postero die' 11,1; 12,1; 13,1; 21,1; 24,1; ‚ita postero die' 17,1; ‚sequenti die' 28,1; ‚insequenti die' 21,3; 25,1 ‚item insequenti die' 14,2; ‚insequenti luce' 10,1; 19,3; ‚insequenti nocte' 7,1; ‚insequenti tempore' 18,5; 23,1; 27,1; 27,5. ‚praeterito noctis tempore' 12,5; ‚hoc praeterito tempore' 13,3; 20,3; 22,1; 22,7. Neque dubito cum Dintero scribere 14,1 ‚eius diei praeterito tempore'.

Praeterea coniunctio enuntiatorum saepissime per demonstrativa et relativa in initio sententiae posita ita efficitur, ut idem copulandi genus saepius repetatur. Exempli gratia proferam: 3,2 seqq. Quo ex oppido —. Quibus praefecit —. Qui cum . . . venisset —. Cuius incommodum ... praebebat.' — 24,4 et 5 Quo de facto cum... petissent —. Quae res ... efficiebat —. Quibus mons ... fuit. Quo subsidio . . . privati essent (cum Oudendorpio). — 4,1 seqq. Hoc misso ad Uliam praesidio . . . contendit. — Hoc . . . . poterat animum adverti. — Hoc timore adductus . . . misit — etc.

Inprimis adverbium ‚ita' summo studio adhibitum est; nam non minus tricies vel quadragies exstat: 1,2; 1,5; 4,5; 5,1; 5,6; 6,2; 6,5; 8,5; 9,2; 13,8; 15,3; 16,2; 17,1; 18,5; 18,8; 19,6; 22,5; 23,5; 23,7; 24,6; 25,6; 25,8; 27,4; 28,3; 30,2; 30,5; 31,6; 31,8: 33,1; 33,5; 34,5; 35,1; 38,2; 39,3; 40,5; 41,5; 42,5. Maxime autem mirus atque memorabilis est usus particulae ‚ita' in initio enuntiati subsequentis positae; legimus enim 36,2 ‚quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent, ita consilio habito noctu patitur, Lusitanos eruptionem facere'. Etiam in capite 32,1 Fleischer (observ. crit. p. 22), qui verba ‚ita Galli' in ‚ita illi' commutat, particulam ‚ita' eodem modo usurpatam esse vult. Cum autem hoc loco enuntiatum praecedens propter lacunam apertam nequaquam sit certum, hanc sententiam sequi equidem recuso. Ceterum hic usus a cotidiano Romanorum sermone non alienus fuisse videtur; cum enim constet et illam latinam linguam, quae initio medii aevi florebat et omnes linguas Romanicas antiquo tempore enuntiatis subsequentibus ad vim eorum augendam particulas quasdam (‚sic', ‚et') praeposuisse, certe colligendum est, hanc dicendi proprietatem iam

a Romanis adhibitam fuisse [1]). Quodsi nullum aliud exemplum particulae ‚ita' hunc in modum usurpatae proferre possum, tamen et simillimo particularum ‚sic' et ‚ita' usu et nostro loco fretus contendere audeo, ita' in rustico sermone easdem fere partes quas ‚sic' egisse.

Coniunctiones autem, quibus totae sententiae inter se copulari solent, in nostro libello paucis exceptis rarissime adhibitas esse demonstratur hac compositione: ex particulis copulativis ‚et', ‚que' creberrime; ‚ac' 23,6 (41,3?); ‚atque' nunquam; ex adversativis ‚sed' 5,6; 7,4; 24,3; 26,6; 42,7; ‚autem' 3,1; 34,1; 38,5; ‚at' 31,5; ‚verum, vero' ne uno quidem loco inveniuntur. Quamquam particula ‚ita', ut supra demonstravimus, sexcenties nobis occurrit, ‚itaque' significans ‚also daher' quinquies tantum (cfr. 23,3; 29,3; 29,6; 29,7; 31,3) legitur; ‚igitur, ergo, proinde' plane desunt. Particula ‚nam' saepius adest: 3,7; 8,6; 16,6; ‚23,7; 25,1; 25,6; 26,6; 29,2; 34,3; (38,4?); aliae autem causales raro: ‚namque' 28,4; ‚enim' 28,2; 31,2; ‚etenim' 28,3. — Etiam earum particularum, quibus temporales et concessivae enuntiationes inseruntur, aliae unoquoque capite semel et saepius usurpantur (‚cum'; rarius sane ‚dum', ‚etsi'), aliae interdum adhibentur (‚simul' 4,2; 31,5; 34,1; ‚simulatque' 37,2; ‚ut = sobald als' 25,3; ‚priusquam' 4,4; 27,3; ‚quamvis' 28,4 (40,1?); ‚licet' 16,4); aliae toto libello nunquam leguntur (‚ubi, postquam, antequam, quamquam'). Iam satis ex his exemplis apparet scriptorem quadam verborum copia se continere et dicto semel usurpato nimium quantum adhaerere. Quam proprietatem ex sola auctoris inertia esse ductam re ipsa demonstratur. Neque minus auctor belli Africani studio voces quasdam saepissime iterandi inductus fuisse videtur, cum, ut exempla proferam, ‚interim' undetricies; ‚praeterea, sedecies; ‚levis armatura' non minus tricies usurpata inveniamus [2]). Neque id mirum est; nam omnes scriptores facultate scribendi non satis instructos in idem vitium implicari constat.

---

[1]) cfr. *Diez*, Grammatik der rom. Sprachen. III, p. 344. ‚Indessen pflegte die aeltere Zeit um des Nachdrucks willen bei temporellen, causalen oder conditionalen Vordersätzen dem Nachsatze gewisse Partikeln voranzustellen. Diese Partikeln sind ‚sic' und ‚et' (exempla secuntur). In der prov. und altfr. Prosa ist dies ‚si' im Nachsatze fast so ueblich wie unser ‚so', bezieht sich aber am liebsten auf Zeitpartikeln, wie man auch schon im aeltern Mittellatein häufig ‚quum — sic; dum — sic, u. dgl. findet.

[2]) cfr. *Fröhlich*, Bell. Afr. p. 40—47 et 53.

Adhuc vidimus, auctorem saepe maiorem vulgaris sermonis licentiam secutum esse; ex eadem dicendi ratione multa, quae scriptor in usu ellipseos mira habet, repetenda esse videntur. Nam verborum omissiones in nostro libello crebriores et liberiores sunt quam in Ciceronis vel Caesaris scriptis. Quod infinitivo perf. pass. 18,5 (iugulatum), 34,5 (circummunitos), 35,2 (receptum), et infinitivo fut. act. 18,7 (concessurum) et 22,5 (satisfacturum) verbum ‚esse' deest, scriptor nihil ab optimo dicendi genere discrepat; neque omissio indicativi praes. verbi ‚esse' in primariis enuntiatis admirationem movet: 12,5 ‚quorum vis repressa (est) a nostris, etsi oppidani .... defendebantur'. 18,6 ‚eodem tempore tabellarii eius deprehensi (sunt)'; 20,5 ‚ea nocte speculatores prensi (sunt)'. 31,10 ‚Nostri desiderati (sunt) ad hominum mille', etsi Cicero hanc ellipsim non tam apud participium perf. pass. quam apud nomen praedicativum adhibuit[1]). Memorabiles autem sunt hi loci: 26,5 ‚Etsi, prout nostra felicitas (est), ex sententia adversarios adhuc propulsos' (Ceterum commemorandum est, haec verba in Pompei epistola scripta fuisse et ipsum Ciceronem in litteris summa licentia singulas voces praetermisisse[2]) et 42,5 ‚Vos ita pacem semper odistis, ut nullo tempore legiones desitae (sint) populi Romani in hac provincia' haberi. Raro apud elegantes scriptores imperfectum verbi ‚esse' deest, noster autem ter omisit: 7,4 ‚sed ex quibus (legionibus) aliquid firmamenti se existimabat habere, duae fuerunt vernaculae ... una facta (erat) ex coloniis, quae fuerunt in his regionibus; quarta fuit Afraniana'. 28,3 ‚ubi castra constituta (erant)', nisi forte secundum caput VIII ‚habuit' assumendum est. 34,2 ‚Erant hic legiones, quae ex perfugis conscriptae (erant)'. Hic locus animum nostrum minus offendit, quod ‚erant' enuntiato relativo iam antecedit[3]). — Praeterea omissio verbi ‚fecit' in capite 5,3 ‚Pari idem condicione Pompeius' nequaquam offensionem habet, cum Cicero ipse scripserit: pr. Mil. 14 ‚Nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo (fecit)'. d. off. I,11 ‚ne quid tale posthac (faciat)'.

Neque a dicendi consuetudine scriptor differt, quod interdum apud infinitivos pronominum accusatos ‚se, eum, eos' praetermittit, etsi concedendum est, hanc ellipsim frequentiorem esse quam pro totius

---

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. d. l. Spr. I. p. 173.

[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 176 seqq.

[3]) *Draeger*, hist. Synt. I, p. 186 exempla huiusmodi collegit.

libelli brevitate. Ipse, quaeso, haec exempla considera: 3,7 ‚nam (se) id temporis conari ad murum accedere‘. 18,6 ‚ei promisit (se) omnia concessurum‘. 30,4 ‚moleste et acerbe accipiebant (se) impediri‘. 42,1 ‚eam provinciam — peculiarem sibi (se) constituisse‘. 18,6 ‚qui vitam sibi peteret, (eum) iussit turrem ligneam oppidanorum incendere‘. 22,8 ‚et si qui ex nostris transfugerit, (eum) in levem armaturam conici eumque non amplius XVII accipere‘. His duobus locis detractio pronominis demonstrativi ex antecedentibus enuntiatis facile explicari potest. 25,2 ‚existimare posses (eos) paratissimos esse ad dimicandum‘. 32,7 ‚qui arbitrati sunt (eum) clanculum venisse‘. — In bello Africano, si Froehlichius (p. 50) omnia exempla protulit, bis tantum (6,6 et 23,2) huiusmodi ellipsis exstat.

Ellipsis ‚in praesentia‘ (tempora) 33,4 est crebra apud Caesarem (cfr. bell. gall. I,15,4; V,37,1; VI,43,3; VII,2,2; bell. civ. I,6,4; I,30,1 etc.) et in bello Africano (cfr. 3,2; 10,4; 12,2; 36,3). — Etiam ‚recta‘ (via), quod apud nostrum auctorem cap. 3,6 legimus, in bello Africano 18,4; 40,2 invenitur; Caesar ipse hoc dictum nunquam adhibuit, sed scripsit bell. civ. I,69,4 ‚recto itinere‘. Omnino haec ellipsis ‚recta‘, cum apud poëtas (Plaut Amph. 1042, Pseud. 1136, Rud. 851, Terent. Hec. 372 etc.) multo saepius nobis obvia fiat quam apud bonos scriptores — nunquam apud Caesarem, raro apud Ciceronem (cfr. Verr. V,61; Cat. I,9; ad Att. VI,8,1 etc.) vulgari sermoni tribuenda esse videtur. — Si in capite 22 extr. legimus: ‚eumque non amplius XVII accipere‘ et in capite 26,1 ‚Caesar turmae Cassianae donavit milia XIII.... et levi armaturae milia XII,‘ apud singulos numeros substantivum ‚sestertius‘ additum volumus. (cfr. bell. Afr. 87,5 ‚singulis C divisit.‘). Inde non iniuria colligendum est, hoc substantivum in militum consuetudine, cum nulla dissensio exoriri posset, supervacaneum esse habitum. — In capite 2,2 ‚Appropinquantibus ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum cum exissent‘, desideramus apud participium ‚appropinquantibus‘ ablativum nominis ‚nostris‘ sive aliquid simile. — Nonnullis locis inter duo verba particula copulativa deest. Vide: 3,3 ‚sex cohortes .... iubet proficisci, pari equites numero‘. 16,2 ‚extulerunt virgulta crates‘ (cum Nipperdeio); 16,3 ‚praeterea argentum, vestimenta‘. 24,4 prohibiti a nostris sunt, deiecti planicie‘. 32,3 ‚Valerius ... fugit, Sex. Pompeio .... refert‘ etc. — Iure autem iis locis, ubi contrarium exprimatur, omnis coniunctio omittitur: 8,2 ‚rudere, non tegulis teguntur‘. 13,5

‚se condiciones dare, non accipere consuevisse'. 17,4 ‚in tua victoria, non in illius calamitate'.

Neque silentio est praetereundum, compluria verba transitiva sine ullo obiecto adhibita esse. Confer ipse haec: 3,5 ‚quae vis tempestatis ita obscurabat'. (cfr. Koch. rhein. mus. XVII, p. 477 ‚omnia obscurabat'). 32,6 ‚eum minus belle (se) habere'. 38,2 ‚quae res maxime (eum) impediebat'. 38,6 ‚Opere circummunire (adversarios) instituunt'. Inprimis composita verbi ‚sequi' obiecto carent: 14,2 ‚dum longius prosequitur'. 14,3 ‚longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent'. 37,2 ‚Didius ... confestim sequi coepit, partim pedites et equitatus ad persequendum iter faciebant, item confestim consequentes' (cum Fleischero, obs. crit. p. 23). 38,5 ‚Quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii'.

Maxime autem mirae atque memorabiles in hoc libello multae subiecti omissiones esse videntur. Scriptor enim in singulis enuntiatis quamvis brevibus subiecta sine ullo indicio mutat, ut ex cohaerentia ea sint assumenda. Huiusmodi exempla sunt haec: 3,5 ‚quae vis tempestatis ita obscurabat, ut vix proximum agnoscere possent. Cuius incommodum summam utilitatem ipsis praebebat. Ita cum ad eum venerunt, iubet binos equos conscendere et recta per adversariorum praesidia ad oppidum contendunt'. — 8,2 ‚omnia loca .... rudere, non tegulis teguntur; simulque in his habent speculas'. — 24,4 ‚cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent, (Pompeiani) prohibiti a nostris sunt'. — 34,3 ‚Legio XIII oppidum defendere coepit; nam cum depugnarent, turres ex parte et murum occuparunt. Denique legatos ad Caesarem mittunt, ut sibi legiones subsidio intromitteret'.

Quin vero in capite 32,2 auctor enuntiatum verborum immemor ita concludit, ut consequentia antecedentibus non cohaereant: ‚Clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus (is tota Lusitania notissimus erat) — hic clam praesidia Lusitaniam proficiscitur'. — Aliquid simile invenitur etiam in cap. 12,6: ‚Hi cum eruptionem facere coepissent, tamen virtute militum nostrorum, etsi inferiore loco premebantur, tamen repulsi adversarii .... se contulerunt.

Hoc loco mihi liceat, nonnullis exemplis explicare auctorem memorabili quadam brachylogia usum esse[1]): 6,4 ‚cum complura castella occupasset', ubi exspectamus: ‚cum complures colles occupasset

[1]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 10.

ibique castella constituisset'. 7,1 ,Pompeius... trans flumen Salsum per convalles castra inter duo oppida Ateguam et Ucubim in monte constituit', pro ,itinere per convalles facto'. 7,2 ,Haec loca sunt montuosa et natura edita ad rem militarem' pro ,edita ideoque idonea ad rem militarem (cfr. cap. 8,1). 9,1 ,animadvertebat loci difficultatem et, quia flumine Salso intercludebatur, non esse commissurum Caesarem, ut... ,ubi desideras: ,animadvertebat... et putabat quia flumine....' Cum hoc loco comparandum est 2,2 ,Q. Pedium et Q. Fabium Maximum de suo adventu facit certiores utque sibi equitatus... praesidio esset'. Nam malumus legere: ,facit certiores et imperat ut....' 9,5, et cum ad eos appropinquasset, fuga perterriti multi sunt interfecti'; hic nihil aliud significatur per ablativum ,fuga' quam ,adversarios fugam cepisse'. 13,3 ,simulque ballista missa a nostris turrem deiecit' pro ,telum ballista missum'. 42,2 ,vectigalia, quae Metellus imposuisset, a senatu petisse' pro ,a senatu ut Hispani vectigalibus.. liberarentur'. — Haec hactenus. Iam satis ex iis, quae diximus, manifestum est, auctorem nostrum non solum ea verba, quae in omnibus libris nonnunquam desunt, maiore licentia praetermisisse, sed etiam, ut erat rudis et litterarum parum peritus, saepe in obscuram dicendi brevitatem incidisse. Iure dicas eum, cum partim supervacanea receperit, partim necessaria nimis contraxerit vel plane omiserit, rectum orationis modum haudquaquam servasse.

Postquam autem universum dicendi genus, quo auctor utitur, adhuc consideravimus, nunc proprietates, quas idem in singulorum verborum usu et constructione exhibet, tractare nobis est in animo. Atque primum commemorandum est in hoc libello saepe genus et numerum praedicati non ad scriptum, sed cogitatum subiectum spectare. Si enim 14,2 scriptum legimus: ,Item insequenti die eadem consuetudine, dum longius prosequitur, quo loco equites nostri stationes habuerant, aliquot turmae cum levi armatura impetu facto loco sunt deiecti et propter paucitatem nostrorum equitum simul cum levi armatura inter turmas adversariorum protriti', neminem fugit, auctori subiectum non ,turmae', sed ,equites' ob oculos versatum esse [1]). Inprimis cum singulari collectivi nominis numero pluralem verbi coniunctum invenimus: 3,8

[1]) Nam cum Oudendorpio ,turmae' pro subiecto verborum ,sunt deiecti' et protriti habendum esse censeo.

‚existimant prope magna pars hominum, qui in his castris fuissent, se prope captos esse‘ [cum Fleischero, observ. crit. p. 6—8.]. — 4,3 ‚Appropinquantibus ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum cum exissent.‘ — 13,7 ‚propter quod fere magna pars hominum, qui in castris nostris essent, non dubitarunt.‘ — Confer 6,4 ‚Caesar, cum complura castella occupasset, partim ubi equitatus, partim ubi pedestris copia in statione et in excubitu castris praesidio esse possent.‘

Hanc ad sensum constructionem, quam vocant, etiam ad insequens enuntiatum pertinere, ex his exemplis elucet: 15,3 ‚Ita exiguo tempore eques pedestre .... proelium facere coepit, usque eo ut caedem proxime a vallo fecerint.‘ Nimirum ‚eques‘ substantivum collectivum pro plurali ‚equites‘ positum interpretandum est. 25,1 ‚cum ad eundem locum eius praesidium venisset, pristino illo suo utebantur instituto.‘ 27,4 ‚Ita castris motis Ucubim Pompeius praesidium, quod reliquit, iussit, ut incenderent et .... se reciperent.‘ 19,3 ‚materfamilias de muro se deiecit, ad nos transiliit dixitque se cum familia constitutum habuisse, ut una transfugerent ad Caesarem‘. 37,1 ‚Pars erat, quae legatos ad Caesarem miserat, pars, qui Pompeianarum partium fautores essent‘. Confer 32 extr. ‚cum frequentia convenisset, de lectica Pompeius eorum in fidem confugit‘. Quae ex sensu orta coniunctio [1]) multo magis dissolutae poëtarum orationi et inculto vulgi sermoni respondet quam sublimi scribendi generi. Profecto apud Ciceronem nullo certo loco hic usus reperitur, apud Caesarem semel bell. gall. II,6,3 ‚cum tanta multitudo lapides ac tela conicerent‘, apud Sallustium raro hanc coniunctionem offendimus; Livius autem crebro pluralem praedicati numerum adhibuit [2]). Saepius autem fit, ut hi scriptores substantivum collectivum in consequenti enuntiato plurali numero excipiant [3]). — Praeterea commemoratu digni esse mihi videntur hi duo loci: 22,7 ‚ex quo die oppidum Ategua esset captum‘ et 24,1 ‚Pompeius, cum animadverteret castello se excludi Aspavia, quod est ab Ucubi milia passuum V‘, quod substantivum appositum nomini proprio praecedens a praedicato vel enuntiato relativo longius abest. Apud alios enim

---

[1]) *Diez,* Gramm. d. r. Spr. III. p. 299: ‚Die sorglose Sprache der aeltern Zeit überlässt sich dieser aus dem Gefühle hervorgehenden Verbindung am leichtesten‘.

[2]) cfr. *Kühnast,* Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax, pag. 60 seqq.

[3]) cfr. *Draeger,* hist. Synt. I, p. 147—151.

scriptores haec congruentia, nisi apposita vox praedicato propior est, nunquam adhibita invenitur [1]).

Etiam in obliquorum casuum usu multas variasque dicendi proprietates auctor habet, velut saepissime in nostro libello, ut quando aliquid sit factum ostendatur, accusativum neutr. pron. ,id', ,idem' cum substantivi genitivo adhibitum reperimus; ita exstat: ,idem temporis' 3,1; 3,4; 12,3; 13,3; 20,4. ,id temporis' 3,4. Haec constructio, etsi interdum apud alios scriptores invenitur [2]), certe apud nullum crebrior est quam apud hunc auctorem. Ad temporis spatium, per quod aliquid manet, indicandum scriptor plerumque ablativo utitur: 3,1 ,fere iam aliquot mensibus ibi detinebatur'. 5,6 ,Ita diebus compluribus cupiebat Caesar' 16,3 ,nocte tota ultra stabat flumen Salsum in acie' (cum Kochio, rhein. mus. XVII, 479); semel tantum accusativo: 38,1, diem et noctem iter faciunt'. Hic ablativi usus apud Ciceronem, Caesarem aliosque bonos scriptores, si non plane abest, tamen rarissimus est [3]), at in Petronii satiris semper exstat. Exempla sunt haec: 47 ,multis iam diebus venter mihi non respondit'; 81 ,ibi triduo inclusus' 81, iacent .... noctibus totis' 111 ,flere totis noctibus diebusque coepit'; 129 ,si triduo sine fratre dormieris' etc. — Quare colligam, in cotidiano sermone ablativum, in eleganti dicendi genere accusativum praevaluisse.

Verbum ,potiri' sequitur et accusativus (16,4 ,praedam armaque') et genitivus (1,1 ,Hispaniae; 2,2 provinciae') et ablativus (13,4 et 19,6 ,oppido'). Genitivus etiam in libris arte bene dicendi excellentibus invenitur (inprimis ,rerum', ,regni'; ,imperii', Caes. bell. gall. I,3,8 ,totius Galliae'); accusativus autem nunquam cum hoc verbo nisi suspectis locis coniunctus est [4]). In aliis autem libris accusativum hoc modo adhibitum saepius legimus. (B. Afr. 68,2 ,oppidum'; 87,4 ,castra' etc. Gell. 13,1 ,mortem'; Just 9,7 ,ultionem' etc.). Itaque huius verbi constructionem in vulgari dicendi ratione maxime ambiguam fuisse arbitror. — In capite 24,6 scriptum est: ,Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum poena est litata', cum hoc verbum ,litare' = ,Opfer bringen, befriedigen, raechen' dativum personae excipere soleat [5]). Confer Cic. Flacc. 38, ,litemus igitur Lentulo'; Sen. Agam. 577, postquam litatum est Ilio, Phoebus redit'. — Verbum ,appropin-

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 168. [2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 367.
[3]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 493 et 494.
[4]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I. p. 527 et 528. [5]) cfr. *Nipperd.* praef. p. 26.

quare' nunquam dativum excipit (cfr. Caes. bell. gall. II,10,5 ‚finibus'; II,31,1 ‚moenibus'; VI,37,2 ‚castris' etc.), sed aut nihil (4,3) aut accusativum praepositione ‚ad' (2,4; 3,8; 9,5) et ‚in' (30,2 in locum) et ‚propius' (29,8 propius rivum) firmatum aut accusativum solum. Nam cap. 5,5 legimus: ‚fluminis ripas adpropinquantes coangustati praecipitabantur'. Confer etiam Tac. ann. XII,13 ‚postquam campos propinquabant'. Apul. met. XI,16 ‚ripam maris proximamus'. De hoc usu mihi Draeger, hist. Synt. I, p. 365, non iniuria haec scribere videtur: ‚In diesen Constructionen hat die Analogie von prope mit seinen Gradus compar. den Accusativ bewirkt'. — Quod auctor 22,5 ‚petiit, ab oppidanis, ut ei liceret legatum ad Caesarem proficisci' cum verbo ‚licere' simul dativum et accusativum coniungit, nihil aliud quam licentia latinae linguae utitur. (cfr. Cic. pr. Balb. 12: ‚si civi Romano licet esse Gaditanum'. Caes. bell. civ. III,1,1 ‚is enim erat annus, quo per leges ei consularem fieri liceret'.)

Duplex dativus apud verba ‚esse' et ‚venire' rectissime adhibetur 2,3; 6,4; 7,3; 18,5; 40,2; 41,3; simulque 24,5; nam equidem hoc loco cum Oudendorpio et Dintero scribendum esse arbitror: ‚Quibus mons, non virtus saluti fuit', (cfr. 31,5 ‚ut locus in aciem ad subsidium veniundi non daretur' et 31,4 ‚ut ad subsidium ..... legis adversariorum traduci coepta sit a dextro'); sed apud verbum ‚habere = haben' mihi memorabilis esse videtur. Vide cap. 2 extr: ‚neque, ut ipse voluit, equitatum sibi praesidio habuit'. — Neque minus peculiaris quam certus est usus dativi ad locum, si quaeritur per quo, significandum. Ipse, quaeso, considera hos locos: 16,4 (nostri Ateguenses, qui eruptionem fecerant) ‚vulneribus affectos oppido represserunt'. 24,4 ‚quo de facto, cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent, ... prohibiti a nostris sunt, deiecti planicie'. Ex sententiis ipsis certo apparet, neque ubi neque unde, sed quo adversarii sint repressi sive deiecti his locis indicari. Cum autem dativus saepe a poëtis (Virg. Aen. V,451 ‚it clamor caelo'. XI,193 ‚spolia . . . igni coniciunt') et ab humilioris ordinis scriptoribus (Vell. I,9 ‚pecuniam aerario inferre'. Ap. IV,16 ‚novalibus suis ire'; ibid. V,2 ‚cubiculo te refer') ad locum, quo movetur, declarandum adhibitus sit[1]), mihi non dubium est, quin ‚oppido'

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 393.

et ‚planicie' pro dativis sint habenda. Profecto autem formam ‚ei' et genitivi et dativi saepe in longum ‚e' contractam esse plurimis exemplis demonstrari potest: apud Caesarem bell. gall. II,23 extr. ‚ut in sinistra parte acie constiterant', apud Horatium sat. I,3,98 ‚aut si prodiderit commissa fide sponsumve negarit', apud nostrum 28,4 ‚loca excellentia tumulis contineri, intervallo planicie dividi'[1]). Itaque nihil me impedit, quominus ‚planicie' obsoletum dativum arbitrer. Iam Oudendorpius interpretatur hoc loco, ‚planicie' esse antiquum dativum et significare ‚in planiciem'. Quod hic dativi usus inprimis apud poëtas et humiles scriptores invenitur, vulgaris sermonis maxime proprius fuisse videtur. — Huc spectat etiam illud 40,1 ‚Interfecto Cn. Pompeio adolescente Didius .... proximo se recepit castello'. Cum enim neque usquam litterarum dictum ‚se recipere' ut ‚recipere' vel ‚recipi' ablativus instrumentalis, sed ubique praepositio ‚in' (apud nostrum scriptorem 4,4; 25,8; 27,4) vel ‚ad' (in nostro libello 6,2; 16,3; 22,3; 40,2 et 7; 42,1) cum accusativo coniuncta sequatur et constet, a nostro auctore ad locum, qui petitur, declarandum dativum interdum adhiberi, verba ‚proximo castello' in dativo posita iure interpretanda sunt. — Simili modo etiam hi loci, ubi praepositionem ‚in' desiderari Nipperdeius (praef. p. 26) suspicatur, intellegendi sunt. Vide 9,4 ‚Hoc peracto cum ex castello repugnare coepissent, maioribusque castris Caesari nuntius esset allatus, cum tribus legionibus profectus est'. 18,3 ‚signifer nuntiavit, suo signo perisse homines XXXV neque licere castris Cn. Pompei nuntiare, neque dicere quemquam'. Inter omnes grammaticos constat, verbum ‚nuntiare' ad locum indicandum praepositionem ‚in' cum accusativo, non cum ablativo copulatam sequi; quod autem apud nostrum auctorem nullo loco contrarium deprehenditur, equidem censeo ne illum quidem ab solito dicendi genere discessisse. Etiam locutio ‚nuntium afferre' poscit, ut loci significatio in accusativo ponatur. Confer cap. 37,2, ubi cum Nipperdeio scribo: ‚simulatque Gadis nuntius allatus est'; Tacit. hist. IV,2 ‚allatis Geldubam in castra nuntiis' etc. Etsi dativus personae additus est, tamen verba nuntiandi quaestionem per quo retinent. Vide Cic. p. Mil. 24 ‚Pompeio in hortos nuntiare'. Liv. XXXVIII,1 ‚ad principes Argitheam nuntiare' etc. Postquam autem vidimus, et apud verba ‚nun-

[1]) cfr. *Neue*, Formenlehre d. l. Sprache I. p. 387 seqq.

tiare, nuntium afferre', si agitur de loco, semper praepositionem ,in' cum accusativo coniungi et auctoris nostri proprium esse, praepositionis cum accusativo copulatae loco nonnunquam dativum ponere, mihi persuasum est his duobus locis haudquaquam praepositionem addendam, sed substantivum ,castris' dativum esse interpretandum. Neque magis consentio cum Nipperdeio, qui hoc loco ante verba ,suo signo' praepositionem ,ex' deesse (praef. p. 26) dicit, sed cum Fleischero, (observ. crit. p. 16) illud non pro ablativo, sed pro dativo habendum esse existimo. Nam haud raro, ait Fleischer, pereundi verbum legitur coniunctum apud scriptores latinos cum dativo personae vel rei, cui aliquid perit. Confer Cic. Att. II,17 ,ne opera et oleum philologiae nostrae perierit'. Cetera, quae protulit Fleischer exempla, utpote non accurate indicata, omittenda censui.

Maxime mirum est, adiectivo ,notus' significationem activam suppositam et genitivum additum esse (= ,peritus'.) Legimus enim cap. 3,3 ,quibus praefecit hominem eius provinciae notum et non parum scientem L. Iunium Paciaecum'. Hanc significationem nunquam nisi apud poëtas inveni: Confer Phaedr. I,11,2 ,Virtutis expers verbis iactans gloriam — Ignotos fallit, notis est derisui'; at genitivus nunquam est additus. In capite 31,10 singulare mille genitivum regit: ,Nostri desiderati ad hominum mille, partim peditum partim equitum'. Ceterum in hunc antiquarium usum [1]) etiam apud Caesarem incidimus (cfr. bell. gall. I,25,5 ,quod mons suberat circiter mille passuum'. bell. civ. III,84,4 ,ut equitum mille — sustinere auderent'. De hac re velim compares Kuehnast, Liv. S. p. 80. In capite 6,1 scriptum legimus: ,copiis flumine traductis noctu iubet ignes fieri magnos. Confer Caesar. bell. gall. VIII,27,2 ,nisi flumine Ligeri .... copias traduxisset'. bell. civ. III,37,1 ,exercitum vado traduxit'. Denique ablativus qualitatis mirum in modum positus esse videtur hisce locis: 3,3 ,Caesar.... celeriter sex cohortis secunda vigilia iubet proficisci, pari equites numero'. 30,4 ,efficiebant, ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur'.

Libellum de bello Hispaniensi accurate perlegentem effugere non potest, auctorem etiam in praepositonum usu interdum a solito

---

[1]) cfr. *Gellium,* I. 16, 7.

dicendi genere abhorrere, cum eas partim contra morem bonorum scriptorum ponat, partim contra eorum morem omittat. Atque primum si quaerimus, quam legem scriptor in praepositionibus ad urbium nomina, sive sola exstant sive substantiva ‚urbs', ‚oppidum' etc. addita sunt, adiciendis secutus sit, negari non potest, universum praepositionum usum cum eleganti scribendi ratione consentire. Etenim loci significationi, quae ad urbem ipsam spectat, deest praepositio. Confer quaeso [1]): 32,3 ‚qui Cordubae fuisset'; 36,1 ‚Lusitani Hispali pugnare ... desistebant'; 39,3 ‚Cum Caesar Gadibus fuisset'. — 26,5 ‚quas mittebat Ursaonem'; 32,3 ‚Cordubam fugit'; 32,6 ‚Carteiam defertur'; 33,3 ‚Cordubam cum venisset'. 37,1 ‚Gadis nuntius allatus est'; 39,3 ‚Hispalim caput.... allatum est'. — 40,8 Caesar Gadibus recurrit'. 42,1 ‚cum Gadibus — se recepisset'. Iure autem praepositio ‚ab' adest, si, a quo loco locus distet, significatur: 24,2 ‚quod est ab Ucubi milia passuum V'. 32,5 ‚quod oppidum abest a Corduba milia passuum CLXX'.

Memorabilis, etsi apud vetustiores scriptores [2]) et apud Livium [3]) creberrimus, usus praepositionis hisce locis: 12,3 ‚tabellarii, qui a Corduba ad Pompeium missi erant'. 37,3 ‚quod imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent'. 41,5 ‚ut a Munda, quam proxime ceperant, materiem illo deportarent'; nam materiem in urbe ipsa esse collectam apparet ex initio capitis 32. — Sed si cap. 6,1 legimus: ‚quomodo ab Ulia (adversarios) retraxerat', praepositionem ‚ab', cum loci significatio minus ad urbem ipsam, quam ad eius regionem pertineat, iure adhibitam esse concedimus. Neque res aliter se habet his locis: 4,1 ‚Hoc misso ad Uliam praesidio'; 4,1 ‚ad Cordubam contendit'; 4,5 ‚ad Cordubam iter facere coepit'; 6,2 ‚ad Cordubam se recepit' Eodem modo ‚in' usurpatum esse in capite 27,5 ‚iter fecit in Carrucam' cum Fleischero (observ. crit. p. 8) consentio. Sed eadem de causa, quod agros oppido adiacentes, non urbem ipsam significari ex contextu apparet, praepositionem exspectamus: 33,1 ‚Caesar.... Cordubam venit' scil. huius urbis expugnandae causa'. 35,1 ‚Caesar Hispalim cum contendisset, legati deprecatum venerunt'; tum scriptor pergit: ‚Ita cum ad oppidum

---

[1]) cfr. *Fleischer,* observ. crit. p. 8 et 9.
[2]) cfr. *Draeger,* hist. Synt. I, p. 455 seqq.
[3]) cfr. *Kühnast,* Liv. S. p. 185 et Draeger I, p. 366.

esset ventum'. 36,4 ,Astam iter facere coepit, ex qua civitate legati ad deditionem venerunt'. 41,2 ,Ursaonem proficiscuntur, quod oppidum magna munitione continebatur'. Haec omissio sane etiam apud alios scriptores invenitur[1]), sed in nostro libello magis est mira, cum aliis locis, ubi Caesarem in urbem ipsam venisse sine dubio narratur, auctor praepositionem adhibuerit. Vide: 40 extr. ,Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit'; 42,1 ,Caesar, cum Gadibus ad Hispalim se recepisset, insequenti die contione advocata commemorat[2]).

Haec exempla diligenter comparans non temere iudicare mihi videor scriptorem in praepositionibus ad urbium nomina apponendis maxime esse varium. Itaque, si apud urbium nomina aliquo apposito amplificata aliis locis praepositionem usurpatam legimus (22,1 ,qui in oppido Ategua Ursaonenses capti sunt'. 22,3 ,speculatores ad oppidum Ateguam miserunt'. 32,5 ,Cn. Pompeius... ad navale praesidium altera parte Carteiam contendit'), aliis locis omissam desideramus (6,1 ,ita firmissimum eius praesidium Ateguam proficiscitur' 35,4 ,Rursus Hispalim oppidum denuo noctu per murum recipitur'), non habeo, cur propter concinnitatem his duabus loci significationibus praepositionem adiciam, sed coniecturas et Fleischeri, qui (observ. crit. p. 9) scribit: ,ita ad firmissimum' et Oudendorpii, qui cum editorum consensu legit: ,Hispalim in oppidum' reprehendo. Confer etiam cap. 24,1 ,Pompeius cum animadverteret castello se excludi Aspavia'. Nam auctor noster verba, quae disiunctionem et semotionem indicant, fere semper cum praepositionibus coniuncta adhibet: ,discedere ab aliquo vel ab aliqua re': 2,2; 18,4; 29,8 bis; 32,4; ,deicere de aliqua re': 13,1; 19,3 et 4. ,deducere ab ea oppugnatione' 4,1; ,excludere ab oppido' 5,3; ,ex quo (loco) erant egressi' 31,8; ,a suo loco hostes premere' 31,4. — Eandem usus varietatem praepositio ,versus' cum urbium nominibus copulata praebet, quippe quae tum apposito ,ad' augeatur: 10,3 et 11,1 ,ad Cordubam versus'; tum hoc addidamento careat: 20,1 ,castra movit Ucubim versus'. Hic commemorandum est, Nipperdeium et Dinterum ex libris manuscriptis cap. 24 extr. scripsisse: ,reliquos versum oppidum iussit deduci'; quem dicendi usum nunquam alias offendimus.

---

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 366.
[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 455 seqq.

De reliquis rebus, quae ad locum significandum pertinent, scriptor paulum abhorret. Si enim 32,7 legimus', conveniunt in domum, quo erat delatus', praepositio mihi nullam offensionem habere videtur, cum enuntiatum relativum, quod insequitur, quasi attributum substantivi ,domus' sit. Sed in capite 35,3 ,Lusitaniam proficiscitur' desideratur praepositio ,in'. Equidem coniecturam recentiorum editorum, qui freti. hisce locis: 1,5 ,in Italiam'; ,in Hispaniam'; 22,8 ,in Baeturiam' praepositionem in textum receperunt, vehementer repudio, et quod scriptorem in adhibendis praepositionibus inconstantem cognovi et quod haec omissio etiam apud alios scriptores interdum a nobis deprehenditur[1]). (cfr. Cic. nat. deor. III,22 ,Aegyptum profugisse'; Caes. bell. civ. III.106,1 ,coniectans cum Aegyptum iter habere'; Liv. VIII,24 ,Epirum devecta'; Petr. 48 ,Africam ire' etc.). Iure praepositio ,in' deest ablativo, cum substantivum ,locus' cum adiectivo vel pronomine quolibet coniunctum, ubi quid fiat, indicat: 2,2; 8,4; 10,2; 14,2; 14,4; 23,6; 24,3; 25,1; 25,2; 26,5; 30,5; 31,1. et cum adiectiva ,totus' et ,medius' ablativo sunt addita[2]): 35,2 ,is tota Lusitania notissimus erat'. 3,6 ,Mediisque eorum praesidiis cum essent'. 29,3 ,quin media phanicie in aequum ad dimicandum adversarii procederent'. Inprimis Livium in hac loci ratione saepissime praepositionem neglexisse explicat Kühnast, Liv. S. p. 84. Multum autem abest, ut praepositionem apud adiectivum ,medius' iure adhiberi posse negem; nam scriptores huius usus plurima exempla praebent. Etiam noster auctor, ut est in praepositionibus adiciendis varius, scribit 42,4 ,Cassium in medio foro nefarie interficere voluistis'. Memorabilis autem est omissio praepositionis ,in' hisce locis: 25,2 ,et planicie iniquiore loco constiterunt'. 29,2 ,nam palustri et voraginoso solo currens erat ad dextrum'. Ceterum Draeger (hist. Synt. 1, p. 485) ex multis aliis scriptoribus similia exempla collegit.

Multo gravius omissionem praepositionis ,ex' ferimus: 15,2 ,cum pedites levi armatura lecti ad pugnam venissent'. 20,4 ,saucii aliquot occiderunt levi armatura'. 40,6 ,nonnulli ea pugna scaphas ... occupant'. In capite 6 extr. ,sic ut vix in ea caede pauci effugerent', potius pro ,in' exspectem ,ex'. Et in capite 30,1 ,erat acies XIII aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur' 31,5 ,equitatus Caesaris sinistro

---

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 364.

[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 484.

cornu premere coepit‘ praepositionem ‚ab‘ usurpatam velim. In capite 18,4 ‚indicium glande scriptum misit, per quod certior fieret Caesar‘ loco praepositionis ablativum instrumentalem positum malumus. Ceterum de hoc usu confer, quaeso, Draegeri hist. synt. I, p. 561. — Praecipue vero animum nostrum in se convertit usus praepositionis ‚de‘; nam legimus: 33,5 ‚Ipse de tempore coenare‘ pro ‚in tempore = bei Zeiten‘ [1]). 24,4 ‚quo de facto cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent‘. Sane Fleischer, (observ. crit. p. 11), cum cap. 13,5 et 36,4 ‚quo facto‘ et 9,4 ‚quo peracto‘ scriptum legatur neque quidquam simile alias inveniatur, praepositionem esse extrudendam censet; sed equidem arbitror hunc usum magis mirum quam a nostro scriptore alienum esse. Primum enim constat, ‚factum‘ substantivi loco saepius in nostro libello adhiberi (3,8 ‚in illo facto‘; 16,4 ‚quod factum .... licet esset gestum‘), deinde praepositio ‚de‘ ad tempus significandum cum substantivis, quibus nunquam conseritur, coniuncta exstat (confer supra ‚de tempore‘), tum auctorem in hac ipsa re maxime inaequalem esse scimus, ut hoc loco praepositionem retinere non dubitem. Neque magis in capite 7 extr. ‚nam de levi armatura et equitatu longe et virtute et numero nostri sunt superiores‘ praepositio tollenda est; nam illa causa, quam Fleischer (observ. crit. p. 11) profert: ‚quod abhorret a latine dicendi consuetudine, ex qua vocabulum ‚superior‘ coniungitur cum simplici rei ablativo‘ ‚inanis mihi videtur, quod simplex rei ablativus iam in substantivis ‚virtute‘ et ‚numero‘ inest neque fieri potest, ut verba ‚levis armatura, equitatus‘ et verba ‚virtus, numerus‘ hic aeque tractentur. — ‚Procul dubio‘, quod nihil aliud significat quam ‚sine dubio‘, exstat 25,3 ‚Hi tamen procul dubio ad congrediendum in aequum locum non sunt ausi descendere‘. Hoc dictum nunquam apud Caesarem aut Ciceronem, sed interdum apud Livium aliosque scriptores reperitur; vide Liv. XXXIX,40; Lucret. I,812 II,261 III,638 etc. — Si cap. 13,6; 15,3; 19,2 ‚pro muro pugnare‘ legimus, praepositionem ‚pro‘ non ‚vor‘, sed ‚vorne auf‘ germanice transferendam esse arbitror. Confer Caes. bell. gall. VI,3,6 ‚Hac re pro suggestu pronuntiata [2]). Praepositionem ‚clam‘ semper cum accusativo coniunctam adhibet: 3,2 ‚legati clam praesidia .... cum adissent‘ 35,3 ‚hic clam praesidia .... proficiscitur‘.

[1]) cfr. *Draeger,* hist. Synt. I, 586.
[2]) cfr. *Draeger,* hist. Synt. I, p. 599.

Confer caput 16,1 ,a Pompeianis clam [ad] nostros tabellarius est missus'. Ceterum constat accusativum in antiquo sermone usitatum fuisse et coniunctionem ablativi apud optimos scriptores uno tantum loco demonstrari posse. Caes. bell. civ. II,32,8 ,nonne sibi clam vobis salutem fuga petivit'.

De adiectivorum et adverbiorum usu pauca sunt dicenda, cum scriptor non multum a solita dicendi ratione discedat. Exspectatione rarius superlativus gradus adhibitus esse videtur; nam toto libello vix tricies eum reperimus. Non possum non singula exempla afferre: a) adiectiva: 6,1 ,firmissimus'; 6,4 ,crassissimus'; 15,6 ,crudelissimus'; 25,2 ,paratissimus'; 33,5 ,novissimus; 35,2 ,acerrimus'; 35,2 ,notissimus'; 33,4 bis ,optimus'; 3,5; 23,7; 29,2 ,summus'. 16,1; 30,2 ,extremus'; 3,5; 29,2; 40,1 ,proximus'; 19,1 ,imus'. — b) adverbia: 1,4; 3,3 ,optime'; 11,2; 19,2; 31,1 ,acerrime'; 6,1 ,minime'; 31,1; 38,2 ,maxime' 7,2; 15,3; 41,5 ,proxime'. Si vero haec exempla accuratius consideramus, maiori parti superlativorum, quos protuli, positivum omnino deesse invenimus, scil. superlativis ,summus, extremus, proximus, imus'; neque adverbia ,minime' et ,maxime' positivum formare possunt. Unde etiam factum est, ut hae formae non semper superlativi vim retinerent, sed hac significatione paulatim deposita denuo compararentur, veluti: ,extremius' Apul. met. I,37,8 et VII,522,21; ,extremissimi' Tertull. Apol. 19,1; ,postremius' Apul. d. deo Socrat, 121,31; ,postremissimus' Apul. apol. 627,98, etc.[2]) Itaque iure dicas, auctorem decem tantum adiectiva sua sponte plena superlativi vi exornasse; quae rara superlativi frequentia eo memorabilior mihi esse videtur, quod scriptor ad virtutem Caesarianorum praedicandam et ad crudelitatem Pompeianorum condemnandam tumidissimis vocibus uti solet[3]). Revera etiam invenimus, auctorem adiectivorum significationem apponendis adverbiis augere atque amplificare studere[4]). Ita legimus: ,bene magnus' 1,2; 4,3; 12,4; 13,4; 15,6; 16,2; 22,6; 35,2; 35,3; 40,1; 41,1. ,bene multi' 12,6; 34,5; 36,4. ,bene longe' 25,2. Eiusdem modi sunt haec: 24,5 ,non parum magna in caede

---

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 621.

[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 35. Multa huiusmodi exempla collegit Roensch, Itala und Vulgata p. 277—280.

[3]) Confer, quae supra de scriptoris studio plenae orationis disseruimus.

[4]) cfr. *Nipperd.* praef. p. 27.

versabantur‘, 3,3 ‚notum et non parum scientem’; 8,1 ‚quod loca sunt ..... non parum idonea‘. 30,2, ut iter vehementer esset periculosum‘. 38,1 ‚Pompeius .... vehementer erat saucius‘. Nusquam adverbium ‚maxime‘ ad adiectivum amplificandum usurpatum legimus. Vidimus igitur auctorem belli Hisp. nimium quantum ab superlativi usu abhorruisse atque etiam singulas formas ut ‚plurimi, maximus‘ (non ‚maxime‘) omnino effugisse. Quod superlativi taedium non solum ad scriptoris proprietatem, sed etiam ad totius vulgi sermonem pertinere inde apparet, quod linguae Romanicae superlativi ipsius usum non parum minuerunt et plerumque adverbiis utuntur. Unde certe colligendum est, iam apud Romanos plebeio dicendi generi superlativum paulatim alienatum et in eius locum adverbia esse suffecta. Inprimis ‚bene‘ cum quibusdam adiectivis (multus, magnus, sanus) coniunctum, quod elegantem scribendi rationem fere respuere demonstravit Woelfflinius (philolog. XXXIV, p. 140), saepissime in vulgi ore fuisse videtur, cum etiam in recentiores linguas sit receptum. Confer ‚bien bon, bien mal, bien malade, ben chiaro, bien malo, bem cheio‘ [1]).

Praetermittam multa adiectiva vel participia substantivorum loco posita esse, cum hoc usu scriptor nihil differat. Si enim interdum ne singulari quidem adiectivo ullum substantivum apponit (cfr. 16,1 ‚tabellarius‘; 20,2 ‚loricatus unus‘; 38,3 ‚Lusitanus‘) Ciceronem ipsum huius usus auctorem invocare potest. Confer nat. deor. I,29 ‚crocodilum .... violatum ab Aegyptio‘. Verr. V,32 ‚hodie Syracusanum in ea parte habitare non licet‘ [2]). Multo memorabiliores mihi sunt ii loci, ubi substantiva et adverbia pro adiectivis adhibita nobis obvia fiunt: 18,5 ‚Insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugae nuntiarunt‘. 22,7 ‚Hoc praeterito tempore servi transfugae nuntiaverunt‘, 26,6 ‚Sed exercitum tironem non audent in campum deducere‘. 28,3 ‚quod maiorem partem exercitus tironem haberet‘. 38,4 ‚Erat accessus loci difficultas‘. Huius usus exempla Livius praebet [3]): I,34 ‚exul advena‘. XXI,30 ‚advena cultor‘. XXVIII,19 ‚domitor ille exercitus‘. In cap. 24,6 ‚Ita pridie duorum centurionum interitio hac adversariorum poena litata est‘ certe adverbium ‚pridie‘ cum substantivo ‚interitio‘ coniun-

[1]) cfr. *Diez*, Gramm. d. r. Spr. III, p. 14.

[2]) cfr. *Naegelsbach*, l. St. p. 79 et 80.

[3]) cfr. *Kühnast*, Liv. S. p. 47.

gendum est. Ad eundem dicendi usum pertinent haec: 23,5 ‚et superiore loco multitudine telorum alter eorum concidit‘ (nam sensus est: ‚multitudine telorum ex superiore loco missorum,) et 31,9 ‚itemque (ceciderunt) equites Romani partim ex urbe partim ex provincia. Quam non alii scriptores ab hoc adverbii usu abhorreant, exponit Draeger, hist. Synt. I. p. III seqq.

Adverbia ‚modo = bald‘ et ‚partim‘, quae alias bis posita inter se respondere solent, apud auctorem nostrum non iterata sunt in capite 5,4 ut modo hi, nonnunquam illi superiores discederent‘, et in capite 37,2 ‚partim pedites et equitatus (cum Fleischero, observ. crit. p. 23). Adverbia ‚modo — nonnunquam‘ etiam apud Suetonium (Tib. 66; Cal. 52, Claud. 15) coniuncta reperias[1]. Hoc loco haud alienum duco commemorare, in cap. 23,2 ‚decucurrerunt nec defugientibus (cum Dintero) nostris multis telis iniectis complures vulneribus affecere‘, pro ‚nec‘ esse desiderandum ‚et non‘, cum non totum enuntiatum, sed solum verbum ‚defugientibus‘ negetur. Compara autem: 3,3, ‚notum et non parum scientem‘. 8,1 ‚propter terrae fecunditatem et non minus copiosam aquationem‘. — Cap. 23,7 ‚Nam et munitione praesidii ita coangustabantur‘, certo ‚et‘ pro ‚etiam‘ positum est interpretandum. cfr. cap. 1,1.

Etiam de pronominum usu, postquam quibus locis illa omissa, quibus pleonasmo quodam posita essent, explicui, pauca sunt addenda. In pronomine reflexivo et demonstrativo adhibendo scriptor inconstantiae cuiusdam est accusandus: tum reflexivo inaudita licentia utitur, tum demonstrativi usus animos nostros offendit. Si enim in capite 8,6 scriptum est: ‚Nam cum inter, Ateguam et Ucubim .... Pompeius habuit castra constituta in conspectu duorum oppidorum, ab suis castris circiter milia passuum IIII. grumus est excellens natura‘, pronomen ‚suis‘ nullo modo defendi potest. Scriptoris autem proprium est, saepissime in enuntiatis relativis pro indicativo imperfecti et plusquamperfecti coniunctivum plusquamperfecti sine ulla causa adhibere[2]; qua in re quasi tota sententia ad eum, de quo dicitur, referenda sit, pronomen reflexivum usurpatur: 22,6 ‚Iugulationem magnam facit principibusque, qui sibi contrarii fuissent, interfectis, oppidum in suam potestatem recipit.‘ 28,2 ‚quod Ursaonensium civitati, qui sui fuissent fautores,

---

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. II, p. 89.

[2]) De hoc usu vide infra.

antea litteras misit (cum Nipperdeio). At in cap. 33,5 eisdem condicionibus pronomen ,eius' adhibitum reperitur: ,Ita novissimo tempore servum iussit et libertum, qui fuisset eius concubinus, alterum se iugulare, alterum pyram incendere'. Item pronomen demonstrativum mihi memorabile ese videtur his locis: 22,5 ,Ita vix periculo liberatus petiit ab oppidanis, ut ei liceret legatum ad Caesarem proficisci', 31,4 ,Qui etsi erant pauci, tamen propter virtutem magno adversarios timore eorum opera afficiebant'. (Verba ,eorum opera' Fleischer (observ. crit. p. 20) iniuria removet). Huius usus nullum aliud exemplum novi; illius similia Draeger, hist. Synt. I, p. 57 seqq. plurima attulit. Confer ipse: Caes. bell. gall. I,5,4 ,persuadent (Helvetii) Rauracis ... uti eodem usi consilio oppidis suis vicisque exustis una cum eis proficiscantur' ibid. I,37,2 ,Haedui (venerunt) questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur' etc.

Immo vero scriptor noster eo inconstantiae progreditur, ut etiam in eodem contextu pronomen reflexivum et demonstrativum promiscue usurpet. Neque enim dubium est, quin 16,5 ,transfuga nuntiavit ex oppido Iunium, qui in cuniculo fuisset, iugulatione oppidanorum facta clamasse: facinus se nefandum et scelus fecisse: nam eos nihil meruisse, quare tali poena afficerentur, qui eos ad aras et focos suos recepissent eosque hospitium scelere contaminasse', quin ad aras recepti iidem facinus sceleratum fecerint, scil. et pronomine ,se' et ,eos' Pompeiani significentur. Mirus mihi esse videtur etiam hic locus: 16,2 ,Ita (oppidani) igne telorumque multitudine iacta bene magnam partem temporis consumpsissent, portam, quae e regione et in conspectu Pompeii castrorum fuerat, aperuerunt copiaeque totae eruptionem fecerunt secumque extulerunt virgulta, crates ad fossas complendas et harpagones ad casas, quae stramenticiae ab nostris hibernorum causa aedificatae erant, diruendas et incendendas, praeterea argentum, vestimenta, ut dum nostri in praeda detinentur, illi caede facta ad praesidia Pompeii se reciperent'. Cum enim pronomen ,illi' sine dubio ad subiectum superioris enuntiati sit referendum, exspectare malim ,ipsi'. Liberior est haec quoque constructio: 36,4 ,Mundensesque, qui ex proelio in oppidum confugerant, cum diutius circumsiderentur, bene multi deditionem faciunt, et cum essent in legionem distributi, coniurant inter sese, ut noctu signo dato, qui in oppido fuissent, eruptionem facerent, illi caedem in castris administrarent'.

Pronomen ‚iste' ‚quod despicationem quandam significare solet, a nostro auctore, qui de Pompeianis saepius abiecta verba adhibet (iugulare, iugulationem facere etc.), ne uno quidem loco scriptum esse equidem miror. In bello Africano ‚iste' exspectatione saepius legitur [1]). Pronomina autem ‚is' et ‚qui' creberrime eaque secundum scriptoris consuetudinem compluria in eadem sectione usurpata esse iam supra demonstravi. ‚Uterque' quod pronomen multis locis (5,5; 14,3; 23,8; 24,1; 24,4; 29,1; 31,1; 31,3) rectissime tractatum invenitur, bis contra morem in plurali numero positum est: 7,3 ‚castra habuit posita Pompeius in conspectu utrorumque oppidorum (Ateguam et Ucubim). 31,9 ‚In quo proelio ceciderunt milia hominum circiter XXX et si quid amplius, praeterea Labienus, Attius Varus, quibus utrisqne funus est factum'. Ceterum etiam hic pluralis usus compluribus aliorum scriptorum exemplis comprobari potest; legimus enim apud Caesarem bell. gall. I,53,3 ‚Duae fuerunt Ariovisti uxores .... utraeque in ea fuga perierunt'; apud Cornelium Nep. Timol. 2 ‚quod utrorumque Dionysiorum saepe adiuti fuerant'. Id. Hann. 4 ‚tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit .... utrosque profligavit'.

Copiosius autem verbi tempora et modi sunt nobis tractanda; quo multae ac mirae dicendi proprietates auctoris nostri pertinent. Maxime peculiare esse videtur, plusquamperfectum saepe loco imperfecti in enuntiatis relativis (raro temporalibus) usurpatum esse [2]). Ita pro indicativo imperf. indicativum plusquamp. scriptum legimus: 13,3 ‚qua (ballista) adversariorum, qui in ea turre fuerant, quinque deiecti sunt et puer, qui ballistam solitus erat observare'. 14,2 ‚dum longius prosequitur, quo loco equites nostri stationem habuerant'. 16,2 ‚(oppidani) portam, quae e regione et in conspectu Pompeii castrorum fuerat, aperuerunt'. 40,7 ‚nonnulli ea pugna scaphas, quae ad litus fuerant, occupant'. — Pro coniunctivo imperf. coniunctivum plusquamp. positum invenimus hisce locis: 2,3 ‚utque sibi equitatus, qui ex provincia fuisset, praesidio esset'. 36,4 ‚coniurant inter sese, ut noctu signo dato, qui in oppido fuissent, eruptionem facerent'. 39,3 ‚Cum Caesar Gadibus fuisset, Hispalim II. Id. April. caput allatum est'.

---

[1]) cfr. *Fröhlich*, Bell. Afr. p. 47.

[2]) cfr. *Nipperd*, praef. p. 24 et 25. Fleischer, observ. crit. p. 6.

Quam temporum commutationem ab iis scriptoribus, qui eleganti dicendi generi studuerunt, perraro factam, vulgari sermone, ut a Vitruvio, ab auctore belli Africani maxime frequentatam esse Nipperdeius (praef. p. 20 et 21) exemplis dilucide exposuit. Similes locos collegit etiam Roensch, (Itala und Vulgata, p. 431). Quin etiam coniunctivus plusqu. apud rusticos paulatim plane in coni. imp. locum successisse videtur, quod linguae Romanicae, quae iure filiae cotidiani sermonis dicuntur, formae latinae coni. plusqu. vim coni. imperf. tribuerunt et latinam formam coni. imperf. sustulerunt [1]).

Neque raro indicativi loco coniunctivum offendimus: 2,1 ‚cum legati Cordubenses, qui a Cn. Pompeio discessissent, Caesari obviam venissent'. 11,2 ‚M. Marcius, tribunus militum qui fuisset Pompeii, ad nos transfugit'. 22,4 ‚eum, qui legatos iugulasset, lapidare .... coeperunt'. 27,6 ‚milesque, qui fratrem suum in castris iugulasset, interceptus est'. 32,6 ‚P. Caucilius, qui castris antea Pompeii praepositus esset, eius verbis nuntium mittit'. 38,1 ‚Equites et cohortes, quae ad persequendum missae essent . . . certiores fiunt'. 32,1 ‚ex fuga hac, qui oppidum Mundam sibi constituissent praesidium'. Coniunctivus imperf. pro indicativo adhibitus nobis obviam venit: 13,5 ‚propter quod fere magna pars hominum, qui in castris nostris essent, non dubitarunt'. 32,7 ‚Qui illarum partium fautores essent, conveniunt in domum'. 35,3 ‚ad Lennium convenit, qui bene magnam manum Lusitanorum haberet'. 37,1 ‚Pars erat, quae legatos ad Caesarem miserat, pars qui Pompeianorum fautores essent'. Cum etiam apud auctorem belli Africani: 35,1 ‚Quibus rebus Scipio quique cum eo essent, mirari et requirere'. 77,1 ‚Thabenenses interim, qui sub dicione et potestate Iubae esse consuessent . . . mittunt' in enuntiato relativo coniunctivum sine causa positum reperiamus, Nipperdeius nos habet consentientes dicens (p. 21) hunc coniunctivi usum ex vulgari sermone ascitum esse.

Ad hanc duplicem commutationem, et temporis et modi, sunt sine dubio referendi ii loci, ubi coniunctivus plusqu. pro imp. indicativo adhibitus legitur: 3,8 ‚existimant prope magna pars hominum,* qui in his castris fuissent, se prope captos esse' (cum Fleischero, obs. crit. p. 6). 13,2 ‚Eo die A. Valgius, senatoris filius, cuius frater in castris Pompeii fuisset . . . . fugit'. 18,4 ‚Servus, cuius dominus in Caesaris

[1]) cfr. *Diez*, Gramm. d. rom. Spr. II,121 et 122; III,330 A.

castris fuisset, dominum iugulavit'. 19,2 ,Turris lignea, quae nostra fuisset, ab imo vitium fecit'. 22,1 ,his [illegible], qui fuissent equites Romani et senatores, non sunt ausi introire in oppidum, praeterquam qui eius civitatis fuissent'. 22,3 ,Cum ad [illegible] se reciperent, qui extra oppidum fuissent, illi .... iugularunt'. 22,5 ,iugulationem magnam facit principibusque, qui sibi contrarii fuissent, interfectis oppidum in suam postestatem recipit'. 28,2 ,Quod Ursaonensium civitati, qui sui fuissent fautores, litteras miserat'. 32,3 ,Valerius .... S. Pompeio, qui Cordubae fuisset, rem gestam refert'. 33,5 ,servum iussit et libertum, qui fuisset eius concubinus'. 35,2 ,Clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus'. 36,3 ,naves, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt'. 37,2 ,Didius, qui classi praefuisset ... confestim sequi coepit'. Neque silentio praetermittendum est, hunc dicendi usum nisi apud verbum ,esse' in nostro libello non inveniri. Quin etiam auctor formae plusqu. verbi ,esse' studiosus eo pervenit, ut participio perfecti ,fuissem' apponat. Vide: 13,1 ,et cum nostri equites pauci in statione fuissent a pluribus reperti, de statione sunt deiecti'. 38,3 ,Lusitanus more militari, cum a Caesaris praesidio fuisset conspectus, celeriter circumcluditur'. Confer etiam 20,3 ,Hoc praeterito tempore in oppido, quod fuit captum, servus est prensus'.

Infinitivus historicus, qui in bello Africano solito saepius exstat [1]), nonnullis tantum locis apud nostrum auctorem nobis occurrit: 1,2 ,Ita partim precibus partim vi bene magna comparata manu provinciam vastare'. 29,5 ,Nostri laetari, nonnulli etiam timere'. 33,5 ,Ipse de tempore coenare'. **Praesens historicum**, quod dicitur, sane in hoc libello plus quinquagies adhibitum invenimus [2]), sed a capite septimo usque ad vicesimum secundum caput plane neglectum desideramus. Quod quomodo sit factum, ex proprietate scriptoris, qui [illegible] semel usurpato haereat omniaque alia ad quoddam tempus [illegible]iseatur, facile intellegi potest. Hoc autem praesens, cum plerumque [illegible] alia tempora interpositum sit, ad orationem incitandam paulum [illegible]. Confer quaeso caput 3,2 et 3: ,legati ..... petere coeperunt, uti [illegible] Caesar ...... iubet proficisci. Quibus praefecit homi-

1) [illegible], praef. p. 22 et *Fröhlich*, Bell. Afr. p. 28 seqq.
2) [illegible], observ. crit. p. 6 et 7.

nem'. Cap. 4,1 ‚Caesar .... praemisit; qui .... recipiuntur. Hoc .... poterat animadverti' .... aliaque. Rari sunt huiuscemodi loci: 37,2 ‚Seditione concitata portas occupant; caedes fit magna; saucius Pompeius naves XX occupat longas et profugit'. 37,3 ‚Dum aquantur, Didius classe accurrit, naves incendit, nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit et locum .... occupat'. Confer cap. 35,4; 36,3; 38,1; 40,6.

Praesens historicum semper coniunctivo imperf. excipitur[1]: 2,3 ‚facit certiores, utque sibi equitatus, qui ex provincia fuisset, praesidio esset'. 5,4 ‚fit contentio, uter prius pontem occuparet'. Confer etiam: 6,5; 32,7; 34,4; 36,4; 38,6 etc. Neque minus in enuntiatis relativis, quae ad tempus historicum pertinent, tempus praeteritum adhibitum invenimus: 32,7 ‚Qui illarum partium fautores essent, conveniunt in domum'. 36,3 ‚Ita erumpendo naves, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt'. Confer 36,4; 38,1; 40,7. Unde apparet, scriptorem nostrum praesenti historico omnibus rationibus vim perfecti historici attribuisse. In consecutivis enuntiatis, quae a tempore praeterito dependent, interdum coniunctivum perfecti positum esse mirum non est. Vide: 15,3 ‚proelium facere coepit, usque eo ut caedem proxime a vallo fecerint'. 23,8 ‚inter quos ita comminus est pugnatum, ut ex nostris ... nemo sit desideratus'. 31,4 ‚premere coeperunt, ut ad subsidium legio .... traduci coepta sit'. Memorabile autem est in oratione obliqua praeteritum verbi regentis tempus coniunctivum praesentis sequi: 3,7 ‚unus ex nostris respondit, ut sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, ut oppidum capiant'. Ceterum hic usus apud Caesarem et inprimis apud Livium non est rarus[2]. Sin autem scriptum est cap. 22,7. ‚transfugae nuntiaverunt, oppidanorum bona venire neque extra vallum licere exire nisi discinctum, idcirco quod, ex quo die oppidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in Baeturiam ...... et si qui ex nostris transfugerit, in levem armaturam conici' coniunctivum perfecti ‚transfugerit', ut condicionem non ad unum casum, sed ad omnes eiusmodi spectare declaret, rectissime usurpatum esse negari non potest[3].

---

[1]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 7.

[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 212 seqq. *Kühnast*, Liv. S. p. 220 seqq.

[3]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, 217 seqq.

castris fuisset, dominum iugulavit'. 19,1 ,Turris lignea, quae nostra fuisset, ab imo vitium fecit'. 22,2 bis ,Nostri, qui fuissent equites Romani et senatores, non sunt ausi introire in oppidum, praeterquam qui eius civitatis fuissent'. 22,3 ,Cum ad nostros se reciperent, qui extra oppidum fuissent, illi .... iugularunt'. 22,6 ,iugulationem magnam facit principibusque, qui sibi contrarii fuissent, interfectis oppidum in suam postestatem recipit'. 28,2 ,Quod Ursaonensium civitati, qui sui fuissent fautores, litteras miserat'. 32,3 ,Valerius .... S. Pompeio, qui Cordubae fuisset, rem gestam refert'. 33,5 ,servum iussit et libertum, qui fuisset eius concubinus'. 35,2 ,Clam quendam Philonem, illum, qui Pompeianarum partium fuisset defensor acerrimus'. 36,3 ,naves, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt'. 37,2 ,Didius, qui classi praefuisset ... confestim sequi coepit'. Neque silentio praetermittendum est, hunc dicendi usum nisi apud verbum ,esse' in nostro libello non inveniri. Quin etiam auctor formae plusqu. verbi ,esse' studiosus eo pervenit, ut participio perfecti ,fuissem' apponat. Vide: 13,1 ,et cum nostri equites pauci in statione fuissent a pluribus reperti, de statione sunt deiecti'. 38,3 ,Lusitanus more militari, cum a Caesaris praesidio fuisset conspectus, celeriter circumcluditur'. Confer etiam 20,3 ,Hoc praeterito tempore in oppido, quod fuit captum, servus est prensus'.

Infinitivus historicus, qui in bello Africano solito saepius exstat [1]), nonnullis tantum locis apud nostrum auctorem nobis occurrit: 1,2 ,Ita partim precibus partim vi bene magna comparata manu provinciam vastare'. 29,5 ,Nostri laetari, nonnulli etiam timere'. 33,5 ,Ipse de tempore coenare'. Praesens historicum, quod dicitur, sane in hoc libello plus quinquagies adhibitum invenimus [2]), sed a capite septimo usque ad vicesimum secundum caput plane neglectum desideramus. Quod quomodo sit factum, ex proprietate scriptoris, qui dicto semel usurpato haereat omniaque alia ad quoddam tempus obliviscatur, facile intellegi potest. Hoc autem praesens, cum plerumque inter alia tempora interpositum sit, ad orationem incitandam paulum valet. Confer quaeso caput 3,2 et 3: ,legati ..... petere coeperunt, uti .... mitteret. Caesar ...... iubet proficisci. Quibus praefecit homi-

[1]) cfr. *Nipperd,* praef. p. 22 et *Fröhlich,* Bell. Afr. p. 28 seqq.

[2]) cfr. *Fleischer,* observ. crit. p. 6 et 7.

nem‘. Cap. 4,1 ‚Caesar .... praemisit; qui .... recipiuntur. Hoc .... poterat animadverti‘ .... aliaque. Rari sunt huiuscemodi loci: 37,2 ‚Seditione concitata portas occupant; caedes fit magna; saucius Pompeius naves XX occupat longas et profugit‘. 37,3 ‚Dum aquantur, Didius classe accurrit, naves incendit, nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit et locum .... occupat‘. Confer cap. 35,4; 36,3; 38,1; 40,6.

Praesens historicum semper coniunctivo imperf. excipitur[1]): 2,3 ‚facit certiores, utque sibi equitatus, qui ex provincia fuisset, praesidio esset‘. 5,4 ‚fit contentio, uter prius pontem occuparet‘. Confer etiam: 6,5; 32,7; 34,4; 36,4; 38,6 etc. Neque minus in enuntiatis relativis, quae ad tempus historicum pertinent, tempus praeteritum adhibitum invenimus: 32,7 ‚Qui illarum partium fautores essent, conveniunt in domum‘. 36,3 ‚Ita erumpendo naves, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt‘. Confer 36,4; 38,1; 40,7. Unde apparet, scriptorem nostrum praesenti historico omnibus rationibus vim perfecti historici attribuisse. In consecutivis enuntiatis, quae a tempore praeterito dependent, interdum coniunctivum perfecti positum esse mirum non est. Vide: 15,3 ‚proelium facere coepit, usque eo ut caedem proxime a vallo fecerint‘. 23,8 ‚inter quos ita comminus est pugnatum, ut ex nostris ... nemo sit desideratus‘. 31,4 ‚premere coeperunt, ut ad subsidium legio .... traduci coepta sit‘. Memorabile autem est in oratione obliqua praeteritum verbi regentis tempus coniunctivum praesentis sequi: 3,7 ‚unus ex nostris respondit, ut sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, ut oppidum capiant‘. Ceterum hic usus apud Caesarem et inprimis apud Livium non est rarus[2]). Sin autem scriptum est cap. 22,7. ‚transfugae nuntiaverunt, oppidanorum bona venire neque extra vallum licere exire nisi discinctum, idcirco quod, ex quo die oppidum Ategua esset captum, metu conterritos complures profugere in Baeturiam ...... et si qui ex nostris transfugerit, in levem armaturam conici‘ coniunctivum perfecti ‚transfugerit‘, ut condicionem non ad unum casum, sed ad omnes eiusmodi spectare declaret, rectissime usurpatum esse negari non potest[3]).

---

[1]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 7.
[2]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, p. 212 seqq. *Kühnast*, Liv. S. p. 220 seqq.
[3]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I, 217 seqq.

Duobus locis, ubi accusativum cum infinitivo exspectes, quod cum coniunctivo copulatum exstat: 10,2 ,Suo loco praeteritum est, quod equites ... ad Caesarem venissent'. 36,1 ,Dum haec geruntur, legati Carteienses renuntiaverunt, quod Pompeium in potestate haberent'. Cum particula ,quod' neque apud Ciceronem neque apud Caesarem hac ratione adhibita, sed apud poëtas et scriptores *inferioris* ordinis et cum indicativo et cum coniunctivo copulata saepe legatur (Plaut. Asin. 52 ,Equidem scio iam filius quod amet meus'. Petron. 46 ,dixi quod mustella comedit'. Id. 71 ,scis enim, quod epulum dedi'. Id. 131 ,vides, quod aliis leporem excitavi'. Suet. Tit. 8 recordatus ... quod nihil cuiquam toto die praestitisset' etc.)[1]), *iure* colligas, hanc constructionem in vulgi ore usitatam fuisse. E contrario in sententia causali obliquae orationis accusativus cum infinitivo positus est: cap. 22,7 ,servi transfugae nuntiaverunt, oppidanorum bona venire neque extra vallum licere exire nisi discinctum, idcirco .... metu conterritos complures profugere in Baeturiam'. Id quod ex sola scriptoris proprietate ortum esse videtur; sed ab hoc usu accurate differunt hi loci: 16,6 ,multa praeterea dixisse, qua oratione deterritos *amplius* iugulationem non fecisse'. 26,3 ,nuntiaverunt omnes in custodiam esse coniectos, e quibus occasione capta se transfugisse. Hic enim relativum loco demonstrativi usurpatum esse arbitror.

Maxime miror particulam ,ut' post ,animadvertere' *positam*: cfr. 36,2 ,Quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent'.[2]) Quod autem in capite 27,4 ,Ita castris motis Ucubim Pompeius praesidium, quod reliquit, iussit ut incenderent', verbo ,iubere' particulam ,ut' additam legimus, hic usus etiam apud elegantes scriptores nobis obvius fit: Cic. Acc. IV,12, ,hic tibi in mentem non venit iubere, ut haec quoque referret'. Liv. XXXII,16 ,iussitque, ut, quae venissent, naves Euboeam peterent'[3]). Omnibus aliis locis auctor verbo ,iubere' *infinitivum* cum acc. sequentem facit. Confer ipse: 3,8; 3,6; 6,1; 18,6; 21,3.

Verbum, ,imperare' eodem enuntiato et accusativus cum inf. pass. et gerundivum sequitur. 33,4 ,Scapula .... coenam afferri quam

---

[1]) cfr. *Roensch,* Itala und Vulgata p. 402.

[2]) *Koch* (rhein. mus. XVII, 627) et Dinter falso mihi ,fore' ante ,ut' *interposuisse* videntur.

[3]) cfr. *Roensch,* Itala und Vulgata p. 427.

optimam imperavit, item optimis insternendum vestimentis'. Infinitivus pass. non raro ,imperare' excipit: Caes. bell. gall. V,1,3 ,Has omnes actuarias imperat fieri'. Cic. Verr. V,27 ,eodem ceteros piratas condi imperarat'. Nipperdeius (praef. p. 26) ,insternendum' esse gerundium declaravit, sed cum accusativus gerundii nunquam praepositione careat, gerundivum omisso ,se' esse interpretandum equidem contendo. Similia gerundivi pro infinitivo positi exempla attulit Rönsch (Itala und Vulgata p. 434): Gromat. vet. p. 312,30 ,signa requirenda oportet'. 313,10; 317,8; 322,23 ,limites (terminos) requirendos oportet'. 317,31 ,terminos excogimus requirendos'. 365,29 ,requirendum oportet'.

Cap. 13,5 verbum ,orare' infinitivus sequitur: ,missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi a Pompeio essent, orabant'. Confer Plaut. mil. glor. 1405 ,oratus sum huc venire'. Verg. A. IX,231 ,Tum Nisus et una Euryalus confestim alacres admittier orant'. Ecl. II,43 ,Iam pridem a me illos abducere Testylis orat'. — Cap. 14 extr. auctoritati codicum confisus cum editoribus lego: ,aversati sunt proelium facere'; qui dicendi usus nullo loco confirmari potest. — 18,7 auctor scripsit: ,quod difficile erat factu, ut eam turrem sine periculo quis incenderet'; Cicero autem in hac verborum compositione infinitivum adhibuit: de nat. deor. III,1 ,difficile factu est, me id sentire, quod tu velis'. de off. I,31 ,quorum iudicium difficile factu est non probare'. — 16,6 scriptum invenimus: ,nam eos nihil meruisse, quare tali poena afficerentur'; apud alios auctores ,ut' post verbum ,merere' positum fere reperimus [1]). — Multo memorabilior est haec constructio verbi ,impedire': 30,4 ,Caesaris copias timore impedire ad committendum proelium'; 41,2 ,sed etiam natura aditus ad oppugnandum hostem impediret' (cum Dintero). Alias hoc verbum aut nihil (38,2) aut ,quominus' (30,4) sequitur. Rectissime autem ,tardare' cum praepositione ,ad' et gerundio coniunctum legitur: 33,1 ,Pompeius . . . . tardabatur ad fugiendum'. (cfr. Caes. bell. gall. VII,26,2 ,palus, quae Romanos ad insequendum tardabat'. id. bell. civ. III,70,2 ,equites ad insequendum tardabantur'. Cic. Verr. III,57 ,cum eius animum ad persequendum non neglegentia tardaret'.) Neque dubito, quin ex hoc usu ille sit profectus. Nunquam autem alibi ,tardare' sic adhibitum offendi

---

[1]) cfr. *Krebs*, Antibarb. d. l. Spr. p. 491.

quam in nostro libello 38.5 ,Quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii et confestim tardabant ab accessu'.

In capite 29,2 ,nam (rivus) palustri et voraginoso solo currens erat ad dextram' dictum ,currens erat' loco simplicis verbi ,currebat' positum esse constat. Hoc periphrasticae coniugationis genus quamvis rarum, tamen apud omnes fere scriptores exstat[1]). — Constructio ablativi absoluti in nostro libello creberrime eaque interdum iis locis, ubi participium relativum desideramus, nobis obviam venit. Perlege, quaeso, ipse hos locos: 1,4 ,ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum largitio fieret'. 14,3 ,longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent'. 18,1 ,Remissis legatis cum ad portam venissent'[2]). 38,5 ,quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii'. Neque raro apud Caesarem idem reperimus, cfr. bell. gall. VI,43,1 ,magno coacto numero ... dimittit'. VII,4,1 ,convocatis suis clientibus facile incendit'. VII,29,1 ,concilio convocato consolatus est' etc. — Vidimus igitur auctorem in temporum modorumque usu multum ab optimis scriptoribus discrepare. Plurimae autem dicendi proprietates, quae huc pertinent, cum exemplis ex poëtis scenicis et deterioribus scriptoribus collectis comprobentur, ad vulgarem sermonem sunt referendae.

Etiam de verborum ordine mihi quaedam sunt dicenda. Inprimis hoc scriptoris nostri proprium est verba sensu cohaerentia alienis verbis interpositis separare[3]). Confer hosce locos: 1,4 ,aliqua ei inferebatur causa'; 3,3 ,pari equites numero'; 5,3 ,pari idem condicione Pompeius'; 8,5 ,in hoc contigit bello'; 11,1 ,ad nostra adducti sunt castra'. 12,1 ,milites sunt capti ab equitibus nostris duo'. 25,1 ,pristino illo suo utebantur instituto' etc. Alia id genus sunt haec: 2,2 ,tabellarii, qui a Cn. Pompeio dispositi omnibus locis essent'. 5,1 ,lapidibus corbes plenos'. 13,1 ,cum nostri .... fuissent a pluribus reperti'. 23,1 ,cum plures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt'. 24,1 ,castello se excludi Aspavia'. 32,5 ,ad navale praesidium parte altera Carteiam'. 32,6 ,qui castris antea Pompeii praepositus esset'. Longum est omnia huiusmodi exempla proferre, sed facere

[1]) cfr. *Draeger*, hist. Synt. I. p. 267.
[2]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 15 et 16.
[3]) cfr. *Fleischer*, observ. crit. p. 4.

non possum, quin unum exscribam: 16,3 ,nocte tota ultra stabat flumen Salsum in acie' (,stabat' cum Kochio, rhein. mus. XVII,479), cum hoc loco ipsa praepositio ,ultra' a substantivo ,flumen' sit semota.

Nulla unquam praepositio substantivum vel pronomen sequitur; ne ,inter' quidem, quae praepositio etiam apud Caesarem postposita legitur (cfr. bell. gall. VI,36,2 ,quas (segetes) inter et castra'. bell. civ. III,6,3 ,saxa inter et alia loca'. bell. gall. VII,33,2 ,quos inter controversia est') in nostro libro post pronomen relativum vel aliud verbum invenimus. Id quod eo memorabilius esse videtur, quo maiore licentia incertus auctor belli Africani praepositiones ,contra, inter, ante, propter, circa, penes, ultra, de' pronomen relativum sequentes facit.[1]) Raro praepositiones ,ex, in, de' inter substantivum et adiectivum vel pronomen positas reperimus. Vide: 1,3 ,quibus ex rebus'. 3,2 ,quo ex oppido'; 24,4 ,quo de facto'; 24,5 ,magna in caede'. — Particula ,que' duobus locis cum praepositionibus concidit, quorum uno praepositioni additur (4,1 ,exque itinere'); altero cum insequenti substantivo coniungitur (15,6 ,in conspectuque').

Particulam ,cum' studio quodam in extremis enuntiatis positam et cum verbo finito coniunctam esse apparet ex his exemplis: 2,1 ,Caesar.... in Hispaniam cum venisset'. 3,2 ,Quo ex oppido.... legati clam praesidia Cn. Pompei Caesarem cum adissent'. 3,7 ,Mediisque eorum praesidiis cum essent'. 4,3 ,Appropinquantibus ex oppido bene magna multitudo .... cum venissent'. 27,5 ,Insequenti tempore Ventiponem oppidum cum oppugnare coepisset'. 29,3 ,Nostri .... propius rivum cum appropinquassent'. 33,3 ,Scapula, totius seditionis ... caput ex proelio Cordubam cum venisset'. 35,1 ,Caesar Hispalim cum contendisset'.

Alias quoque coniunctiones a suo loco crebro remotas esse videmus: 7,2 ,quae planicie dividuntur, Salso flumine, proxime tamen Ateguam ut flumen sit. (Confer autem 3,5 ,ut vix proximum agnoscere possent'. 6,5 ,ut vix in ea caede pauci effugerent'). — 14,3 ,maiore Pompeiani exsultabant gloria, longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent'. 27,1 ,Servi transfugerunt, qui nuntiaverunt a. d. III Non. Mart. proelium ad Soricam quod factum est, ex eo tempore

[1]) cfr. *Fröhlich*, Bell. Afr. p. 26 seqq.

metum esse magnum'. — 40,5 ,eodem signo fugientes latrones dum persecuntur'. Maxime mira sunt haec: 11,2 ,Q. Marcius, tribunus militum qui fuisset Pompei, ad nos transfugit'. 34,4 ,praeterquam extra murum qui perierunt'. 34,5 ,ex proelio quos circummunitos superius demonstravimus, eruptionem fecerunt'. 29,4 ,ut mirificum et optandum tempus prope ab diis immortalibus illud tributum esset'.

Chiasmum, qui vocatur, quater tantum adhibitum inveni: 3,4 ,tempestate adversa vehementique vento'. 5,6 ,non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant. 32,2 ,scuta et pila pro vallo, pro caespite cadavera collocabantur'. 32,5 ,cum equitibus paucis nonnullisque peditibus'.

Priusquam peculiaria verba et inusitatas verborum colligationes, quae in nostro libello leguntur, enumerare aggredior, formas quasdam singulares tractabo. Quod accusativus pluralis ter (cfr. 3,3 ,cohortis; 36,3 ,navis'; 37,2 cum Nipperdeio ,Gadis') in ,is' exit, ea nomina, quae genitivum pluralem in ,ium' mittunt, accusativum plur. in ,is' syllabam saepissime terminant.[1]) — Substantiva ,fustis' et ,securis' in ablativo singulari utuntur exitu ,i' (cfr. 21,3 ,securi'; 27,6 ,fusti') ,at apud substantivum ,turris' in ablativo ,e' invenitur (cfr. 13,8 ,turre') et in accusativo ,em' (cfr. 13,8; 18,6; 38,2 ,turrem'); uno tantum loco (19,2) ,turrim' legitur. Nomina urbium et fluminum semper in ,im' et ,i' exeunt (cfr. ,Hispalim' 27,3; 35,1; 35,4; 39,3; 40,8; 42,1; ,Baetim' 5,1; 36,3; ,Hispali' 36,1; ,Ucubi' 24,2). Ceterum concedendum est, apud omnes scriptores latinos usum harum formarum varium fuisse.[2]) De dativi exitu ,e' pro ,ei' adhibito vide supra p. 18.

In capite 23,8 pro ,quibus' scriptum est ,quis': ,complures sunt vulneribus affecti, in quis etiam Clodius Arquitius', quae forma, cum apud Caesarem nunquam, apud Ciceronem semel eaque in epistola XI,16 ad fam. data, saepissime apud Varronem, Livium, Tacitum usurpata legatur,[3]) magis vulgaris quam elegantis sermonis propria fuisse videtur. Hanc sententiam inprimis probat Horatius, cuius in satiris et epistolis, quas ad cotidianam orationem proxime accedere constat,

---

[1]) cfr. *Neue*, Formenl. I, p. 257 seqq. et Corssen, Ausspr. I, p. 743.
[2]) cfr. *Neue*, Formenl. I, p. 196—232.
[3]) cfr. *Neue*, Formenl. II. p. 170 et 171.

octies, nunquam in carminibus, quae sublimitate dicendi excellunt, ‚quis' pro ‚quibus' positum invenimus.[1])

Neque hoc loco intermittere possum, quin exponam, qua ratione scriptor perfectum et plusquamperfectum formaverit. Semper fere et ubique solita et plena forma utitur, sed in tertia persona perfecti pluralis bis contractionem adhibet (secundum Nipperdeium) 13,7 ‚dubitarunt'; 18,5 ‚nuntiarunt' et ter minutam formam ‚ere' praebet: 23,2 ‚affecere'; 23,3 ‚cessere'; 24,1 ‚convenere'. Illud Ennii ‚nostri cessere parumper' 23,3 auctorem huius formae admonuisse videtur. In infinitivo perf. et coniunctivo plusqu. ea verba, quorum perfecti indicativus in ‚avi, evi, ivi, ii' incidit, plerumque contracta sunt. Excepti sunt duo tantum loci: 13,6 ‚consuevisse' et 20,2 ‚imperavisse'.

Ut ad ipsa verba, quae in nostro libello usurpata sunt, redeam, in capite 5,1 ‚lapidibus corbes plenos' substantivo ‚corbis' genus mascul. attributum invenimus; Cicero autem pr. Sest. 38 scripsit: ‚corbis messoria'. Cap. 6,2 legimus: ‚carra complura'; Caesar semper ‚carrus' adhibuit (cfr. I,6,1; I,26,3; IV,14,4 etc.). Genera substantivorum hunc in modum commutata saepissime apud scriptores plebeios exstant. Confer, ipse in Petronii satiris: ‚cum corbe, in quo' 33; ‚caelus' 39, 45; ‚fatus' 42, 71, 77; ‚vinus' 41; ‚thesaurum' 46; ‚libra rubricata' 46 etc. — 42,6 ‚agros provinciamque vestro impulsu depopulavit'. Activus huius verbi usus est rarissimus. Compara ‚agros depopulant servi', Enn. ap. Non. p. 471, 19; Caecil. ap. Non. p. 18. ‚greges depopulare' Val. Fl. VI, 532.

Etiamsi totum libellum celeriter pervolvimus, nos effugere non potest scriptorem primae coniugationis verba quodam modo anteposuisse. Ita pro simplicibus verbis, etsi sensui plane satisfacerent, interdum intensiva usurpata legimus: 3,4 ‚ut tempestate adversa vehementique vento afflictaretur' (nunquam ‚affligere'). 12,4 ‚telorumque multitudinem iactando bene magnum tempus consumpsissent' (‚iacere' semel 16,2). 17,3 ‚Qui legionum tot impetus sustentantes' (nunquam ‚sustinere'). 22,4 ‚et ei manus intentare coeperunt' (nunquam ‚intendere'). Confer autem 25,3 ‚qui ... parem esse neminem agitare coepit', ubi verbo intensivo propria significatio inest.

---

[1]) cfr. *Wölfflin*, philol. XXXIV, p. 146.

Deinde complura verba, quae in sublimi dicendi genere aut nunquam aut alia ratione adhibita sunt, apud nostrum auctorem posita inveniuntur: 1,5 ,auxilia sibi depostulabant', quod verbum nusquam alibi repertum est. — 5,5 ,propter pontem coangustabantur', paulo post ,coangustati'; 23,7 ,coangustabantur'. Cfr. Varr. r. r. III,16,15; Cels. VII,27. Caesar hanc vocem nunquam, Cicero translata significatione usurpavit leg. III,14 ,Atque haec lex . . . coangustari etiam potest'. — 5,6 ,morti mortem exaggerabant'. Caesar et Livius hoc verbo, quantum scio, plane abstinent; Cicero non utitur nisi ut exprimat: ,erhoehen, erheben, verherrlichen'. cfr. de off. I,26 Cat. IV,9 de or. III,27; orat. 59. — 5,6 ,tumulos tumulis exaequabant'. Boni scriptores huic verbo translatam vim supponere solent: Caes. bell. civ. I,4,4 ,quod neminem dignitate secum exaequari volebat'. Cic. de am. 20 ,exaequare se cum inferioribus debent'. — 25,2 ,cum locum efflagitarent'; 29,7 ,efflagitabat, ut tali condicione ad victoriam contenderent'. cfr. B. Afr. 56,3 ,conspectum amicorum . . efflagitabant'; 22,5 ,auxilium .... efflagitatum'. Caesar ipse hanc vocem repudiat, Cicero autem raro adhibet: Verr. I,24 ,cum iste a Cn. Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem . . . mitteret'. pr. Mil. 34 ,qui illam (misericordiam) efflagitant'. — 25,2 ,vociferantibus'; hoc verbum a Cicerone rarissime (cfr. Verr. II,21; pr. Rabir. Post. 8.), nunquam a Caesare usurpatum est. — 37,3 ,ad terram applicant'; Caesar fere semper ,appellere' adhibuit. Ipse iudices velim: ,appellere' bell. gall. III,12,3; V,13,1; VII,60,4; bell. civ. II,3,2; II,23,3; II,43,1; ,applicare' bell. civ. III,101,5. — 40,1 ,ad Didium se reportant'. Compara cum hoc peculiari dicto ,se referre', quod adest bell. civ. I,72,5; II,8,2. — 42,2 ,ampliato honore'. Significationem ,erweitern, vergrössern' huic voci, quae omnino perraro legitur, neque Cicero neque Caesar neque Livius tribuit; Horatius sat. I,4,32, Celsus VII,5, Suetonius Caes. 44. Huc accedit, quod verba: ,iugulare, nuntiare, pugnare, comparare, appropinquare, oppugnare, occupare' saepissime usurpata invenimus. Quamobrem iure contendimus scriptorem amore quodam verba primae coniugationis coluisse. Quaeritur autem, utrum hic amor auctoris solius proprius an ad cotidianam dicendi consuetudinem referendus sit. Ita interrogantibus respondit Woelfflinius, philol. XXXIV, p. 157: ,Die zu starken Ausdrücken und zu vollen Formen (lieber der ersten coniugation als der dritten wegen der langen penultima) sich neigende Volkssprache

zieht die frequentativa hervor, wo für Cicero das Stammverbum genügt'.

Neque minus animum nostrum composita, quae dicuntur, in se convertunt; nam non solum iis locis, ubi defendi possunt, maxime frequentata, sed interdum etiam sine iusta causa pro simplici verbo posita sunt. Inprimis verba cum praepositione ,circum' coniuncta adamavit: ,circumducere' 6,3; ,circumvenire' 40,5; ,circumplecti' 32,2; ,circumvallare' 32,1; ,circumdare' 13,8; ,circumsidere' 26,6; 36,4; ,circummunire' 34,5; 38,6; ,circumcludere' 6,5; 32,2; 38,8; ,circumcirca' 41,3. Creberrime etiam praepositionem ,de' verbo additam reperimus. Nam ut pervulgata composita: ,deicere, depellere, decurrere, descendere, dedere, decernere, demittere, designare, deprehendere, deducere' omittam, leguntur haec: ,detinere' 1,1; 3,1; 16,3; 34,5; 36,3; ,definire' 30,3; ,deurere' 27,4; ,depostulare' 1,5; ,deposcere' 17,4; ,depopulare' 42,7; ,devocare' 24,2; ,deterrere' 3,7; 16,6; ,depugnare' 34,3. Similiter res se habet in omni compositorum genere, sed omnia huiusmodi exempla afferre est infinitum atque inutile.

Si haec verba composita accuratius inspicimus, singula apud elegantes scriptores non adesse intellegimus: ,circumsedere'. Caesar semper ,obsidere' scripsit, Cicero et Livius interdum ,circumsedere'. — ,circumcirca' apud Caesarem et Livium deest; apud Ciceronem nisi in epistolis non offenditur. (cfr. ad. fam. IV, 5). — ,apprehendere manum' 18,1; haec vox nunquam a Caesare, perraro a Cicerone est adhibita; saepissime autem ,prehendere' et ,comprehendere'. — ,consuefacere' 25,2; cfr. B. Afr. 73,3; ,ut consuefaceret milites hostium dolos'. Principes scriptorum ,assuefacere' usurpare solent[1]). — ,conterrere' 22,7; 31,2. Hoc vocabulum nunquam apud Caesarem; apud Ciceronem et Livium perraro deprehenditur. — ,convallis' 7,1; 25,2; 28,2; 39,3; verbum simplex nostro auctori plane periit. Etiam in bello Afr. constanter dicitur ,convallis' 7,6; 50,1; 66,2. —[2]) Item hi duo scriptores consentiunt in creberrimo vocis ,complures' usu; noster ,complures' scripsit: 5,6; 6,2; 6,4; 9,5; 12,4; 15,2; 15,4; 22,7; 23,2; 23,6; 23,8; 40,6; 40,7; ,plures' 13,1; 23,4. De bello Africano confer Fröhlich, p. 21. — „compar“ in capite 23,5 legitur, quod vocabulum

---

[1]) cfr. Wölfflin, philol. XXXIV, p. 160.

[2]) cfr. Nipperd. praef. p. 21.

nunquam apud Ciceronem aut Caesarem, saepe apud Livium (cfr. I, 9; XXIII,6; XXXVI,44 exstat. — Compara verba ,depostulare, exaequare', quorum simplicia non raro eleganti dicendi genere adhibita sunt. — „depugnare" (34,1) in Caesaris libris semel tantum (VII, 28,1); in bello Africano saepe obvium fit. (7,6; 29,2; 45,3; 94,1); apud Ciceronem illud nisi de singulari certamine et translate usurpatum non repperi. — Verbum ,deurere' (27,4); Caesar semel (cfr. VII,25,1); Cicero nunquam, quod sciam, adhibuit. — ,praefulgere' (25,7) apud neminem scriptorem bonum legimus; simplex autem ,fulgere' saepe positum est. Vidimus igitur nonnunquam iis ipsis locis, ubi auctoritate Ciceronis freti verbum simplex exspectemus, compositum exstare atque etiam compositum ut ,convallis' iam simplex loco prorsus movisse. Idem studium in vulgari sermone multum valuisse evidenter demonstravit Wölfflinius, philol. XXXIV, p. 58.

Praeterea exstant haec proprie dicta: 40,7 ,pelagus' = mare. Hoc vocabulum legitur apud poëtas (cfr. Verg. G. I,142; II,41. A. V,8. Hor. carm. I,3,11) et apud scriptores recentioris aetatis (cfr. Plin. IX,10(12); Tac. ann. XV,46. Just. IV,1. Val. Max. III,2). — 40,7 ,salum' = ,weite offene See' est oppositum substantivo ,litus'. Haec significatio, etsi Caesari deest, tamen confirmatur his locis: Cic. Caec. 30. Liv. XXXVII,10 et 16; Cornel. Them. 8. B. Afr. 46,4; 62,4; 63,6. — 33,5 ,pyra' nisi ab poëtis non adhibitum est: Verg. A. VI,215; XI,185. Ov. fast. II,534 (cfr. B. Afr. 91,3). — 8,6 ,grumus' = ,collis, tumulus' exstat apud Vitr. II,1; VIII,3 et Plin. XXVIII,4 et Colum. II,18. — 6,5 ,obscuratio' = Verfinsterung. Huic voci elegantes scriptores semper translatam vim subiecerunt. cfr. Cic. fin. IV,12; IV,13. — 22,3 ,ex aversione legatos iugulare'. Vocabulum ,aversio' multo post in scriptis iureconsultorum (Dig. 14,2, 10. § 2; ibid. 1. § 15 etc.) adhibitum, ad figuram rhetoricam, quae graece dicitur ἀποστροφή, significandam a Quintiliano IX,2,39 usurpatum legitur. — 31,2 collatus = Zusammentreffen nullo alio loco apparet; at declarans ,Ideenaustausch' apud Censor. d. n. I,8. — 25,7 ,propter equitum concessum'; pro mira voce ,concessum' scribo Dinterum secutus ,congressum'. cfr. 25,4 et 31,2. — 24,6 ,interitio' ut in bello Africano 2,4 et apud Vitruvium VIII,1. Caesar hoc verbum repudiavit. — 17,3 ,telorum missus exspectantes'. 31,3 pilorum missu fixa ,cumulatur'. cfr. Lucret. IV,406 ,missus bis mille sagittae'. Caesar ablativo tantum cum genitivo subiectivo copulato

usus est: bell. gall. V,27,1 et VI,7,2 ,missu Caesaris'; bell. civ. II,22,3 missu Bruti'. 20,7 ,aequitas loci'. Significationem ,Ebenheit' nusquam alibi suppositam inveni; ceterum usus huius vocis omnino rarus esse videtur. — Vocabulum ,loricatus' miro modo adhibitum legimus, ut Nipperdeius (praef. p. 25) negaverit apud alios scriptores ita legere se meminisse ut hic: 4,1 ,loricatos, viros fortes, cum equitatu ante praemisit' (cfr. 4,3). 13,5 ,missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a Pompeio essent, orabant'. 20,2 ,loricatus unus ex legione vernacula ad nos transfugit'. 20,4 ,centuriones loricati octo ad Caesarem transfugerunt ex legione vernacula'. — 5,4 ,proelia minuta'. cfr. B. Afr. 29,1; 51,7. Caesar autem scripsit: ,parvula proelia' (bell. gall. II,30,1; V,50,1.[1]) — 15,6 et 16,5 ,nefandum facinus'. Hoc adiectivum apud Caesarem et Ciceronem nullo certo loco invenimus, sed apud Livium (cfr. I,59 nefandum vehiculum). — 8,6 ,grumus excellens'; 8,4 ,excellentia loca'; 24,3 ,tumulus excellens'; 28,4 ,locis excellentibus'. Primaria significatio ,sich erhebend, emporsteigend' perraro nobis obviam venit; cfr. Vellei. II,107 ,unus e barbaris corpore excellens'. Huius loco Caesar ,excelsus' ponere solet: bell. gall. VI,26,1 ,cornu excelsum'; bell. civ. I,80,2 ,mons excelsus', I,70,4 ,mons excelsissimus'. Confer apud nostrum auctorem: ,tumulus excelsus' 24,1. — 41,4 ,intro congessit'. Adverbium ,intro' inprimis apud comicos exstat: Terent. Andr. 28; 53 etc. cfr. B. Afr. 88,3. — 35,2 ,intra', quae vox rarissime adverbii loco usurpatur (Suet. Caes. 84; Cels. V,28); nunquam apud bonos scriptores. — 32,7 ,clanculum'. Deminutivum nisi apud comicos non inveniri potest. — 32,6 ,belle habere'. Adverbium deminutivum ,belle' familiaritatem quandam indicare videtur; nam exspectatione saepius legitur in Ciceronis epistolis: ad Att. I,1; IV,16; VI,1 bis; VII,2; XIII,33; XIV,16; XVI,3; ad fam. VII,18; IX,9; ad Q. fratr. III,1 etc. — In capite 40,8 legimus: ,Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit'; pro hoc verbo ,rediit' sive aliquid simile exspectamus. Idem usus in bello Africano animadvertitur.[2]) — 33,4 ,imperavit, item optimis insternendum vestimentis'. Verbum ,insternere' apud Caesarem et Ciceronem frustra quaerimus. — 31,6 ,imperitorum mentes timore praepediebat'. Hic

[1]) cfr. Philol. Anzeiger V p. 180.
[2]) cfr. Philol. Anzeiger V p. 183.

usus mihi maxime singularis esse videtur. Ceterum verbum ipsum rarissime usurpatur. — 36,1 ,maleficium lucrifacere' = das Unrecht gut machen'; (cfr. Plin. h. n. VII,39 ,Quam quidem iniuriam lucrifecit ille').

Omnino multa verba maxime usitata mirum in modum inter se coniuncta videmus. Perquiras ipse velim hos locos: 10,1 ,signa ab oppidanis capere'; 38,6 ,fuga sibi praesidium capere'; 26,6 ,inde sibi commeatus capere'. — 13,5 ,se conditiones dare, non accipere consuevisse'. Caesar scripsit ,conditionem ferre' bell. gall. IV,11,3; bell. civ. I,24,6; I,82,6. Confer ,conditiones imponere' B. Alex. 65,5. — 36,4 et 39,2 ,caedem administrare'; 24,5 ,in caede versari'. Apud Caesarem semper reperimus: ,caedem facere' (cfr. bell. gall. VI,18,5; VII,42,3; VII,67,6; VII,70,5; VII,88,4). — 23,5 ,proelium facere'; quamquam unum centurionem contra complures pugnasse scriptor narrat. — Pro verbo ,repellere' auctor interdum et simplex ,agere' et compositum ,redigere' scripsit: 23,4 ,(centuriones duo) acriter eximia virtute plures cum agerent'; 23,6 ,adversarios ad vallum agere coeperunt'. Caesar hanc vocem eadem significatione nisi cum adiectivo vel participio coniunctam non adhibuit; bell. gall. IV,12,2 ,perterritos egerunt'. V,17,3 ,praecipites hostes egerunt'. — 15,4 ,in castra redegerat'; 34,5 ,in oppidum redacti sunt'. cfr. B. Alex. 19,3 ,in oppidum redegerat'. — Si in capite 7,1 ,aggerem vineasque agere' scriptum legimus, zeugma, quod dicitur, adesse arbitror. — 15,6 ,de muro praecipites mittere'. — 29,8 ,adversarii patrocinari loco iniquo non desinunt.' — 30,3 ,locum definire coepit'. Sane Kochius (rhein. mus. XVII,626) ,defendere' et Fleischer (observ. crit. p. 20) ,detinere' proposuit, sed multis scriptoris proprietatibus nixus has coniecturas reicio. — 12,5; 23,2; 27,1 ,distentus in opere'. cfr. B. Afr. 55,2 ,distentus bello'. — 22,6 ,oppidum in suam potestatem recipere'; cfr. bell. gall. VII,78,4 ,in servitutem recipere'. — 6,3 ,munitionibus Ateguam oppugnare'. — 17,2 ,Cuius funestae laudes'. — 29,2 ,Hinc dirigens planicies'. — 29,2 ,Cuius (planiciei) decursum antecedebat rivus'. — 26,6 ,nostrisque adhuc fixi praesidiis bellum ducunt'. (Iniuria Kochius, rhein. mus. XVII,626 ,fixi' in ,fisi' mutavit).

Maxime autem mira sunt haec: 23,8 ,Ex utroque genere pugnae complures sunt vulneribus affecti'. 31,3 ,Itaque ex utroque genere pugnae, cum parem virtutem ad bellandum contulissent'. — 22,4 Qui

cum certum comperissent, legatorum responsa ita esse gesta, quemadmodum illi retulissent'. — 8,5 ,ita ab oppugnationibus natura loci distinentur, ut civitates Hispaniae non facile ab hoste capiantur. — Quas omnes res rudi et inculto auctori vitio esse dandas, quis est qui neget?

II.

De fide historica auctoris belli Hispaniensis.

Veritatem rerum integritatemque scriptores non solum falsis fictisque referendis, sed etiam veris consulto omittendis et minuendis exaggerandisve laedere ac violare inter omnes constat. Itaque cum de fide historica auctoris belli Hispaniensis disputare mihi proposuerim, nequaquam satis habeo perquirere, utrum res memoriae proditae vere sint gestae necne, sed etiam quaerendum mihi esse videtur, nonne scriptor vera praetereundo aut inaequaliter exponendo inicum se praebuerit.

Atque primum, ut a levioribus initium capiamus, scriptorem nostrum Pompei rebus non aeque favere ac Caesaris satis demonstratur ipso singulorum verborum usu. Abiectae enim quaedam sordidaeque voces nisi de Pompeianis scriptae non leguntur; aliae, quibus honesta vis subiecta est, semper ad Caesarianos pertinent. Ita caedes ab adversariis[1]) extra proelium factae nunquam verbis: ,interficere' occidere, necare' etc. referuntur, sed semper ,iugulare' (cfr. 15,6; 18,4; 18,5; 19,3; 20,3; 22,1; 22,3; 22,4; 27,6; 33,5; 35,4) ,iugulationem facere' (cfr. 16,5; 16,6; 22,6) aliaque id genus adhibita sunt. Cum autem Caesarianos aliquid acerbi commisisse tradit, aut verbum usitatum ,interficere' (cfr. 13,3; 16,4; 39,3) usurpat aut genus caedis accurate describit. Confer, quaeso, haec: 12,3 ,tabellarii . . . . . manibus praecisis missi sunt facti'. 20,5 ,servi sunt in

---

[1]) Ex multis libelli locis elucet auctorem ipsum in Hispania pro Caesaris rebus pugnasse. cfr. *Nipperd.* praef. p. 34 et *Froehlich*, Bell. Afr. p. 15.

crucem sublati, militi cervices abscisae'. 27,6 ,miles . . . interceptus a nostris et fusti percussus.'

Voces vero quae vim fugiendi exhibent, semper ad Pompeianos spectare elucet ex his locis: 9,5 ,(Pompeiani) fuga perterriti'. 25,8 ,(Pompeiani) metu perterriti cum in fuga essent', 31,8 ,(Pompeiani) fusi fugatique', 32,3 ,Valerius adulescens Cordubam fugit'. 38,6 ,(Pompeiani) fuga sibi praesidium capiunt'. 40,5 ,fugientes latrones dum persecuntur'. — Caesarianos autem cedentes facit, nunquam fugientes; ita legimus: 14,3 ,longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent'. 23,3 ,Hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere parumper'. 38,5 ,Quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii'. Neque dubium est, quin Didii milites, qui impetu a Lusitanis facto salvi evaserunt, fugam ceperint; sed noster auctor nulla voce fugiendi utitur; nam in capite 40,6 scriptum est: ,nonnulli ea pugna scaphas, quae ad litus fuerant, occupant, item complures nando ad naves, quae in salo fuerunt, se recipiunt.

Virtutem Caesarianorum saepissime laudatam atque celebratam invenimus, velut: 7,5 ,virtute ..... nostri erant superiores'. 12,6 ,virtute militum nostrorum'. 16,4 ,(nostri) virtute freti .... represserunt'. 23,3 ,(duo centuriones) eximia virtute plures cum agerent'. 23,7 ,Quorum nisi summa virtus fuisset'. 31,1 ,Nostri virtute antecedebant'. 31,3 ,Ex utroque genere pugnae cum parem virtutem ad bellandum contulissent'. 31,4 ,propter virtutem magno adversarios timore afficiebant'. 31,5 ,illi (Caes.) eximia virtute proelium facere'. 40,6 ,Didius magna cum virtute . . . interficitur'. Pompeianis autem laudem virtutis nunquam tribuit, sed cum adversarios fortiter pugnasse commemorare cogitur, scribit haec: 11,2 ,acerrime pugnatum est'. 12,5 ,acriter pugnare coeperunt'. 19,2 ,acerrime pugnaverunt'. 31,7 ,vehementissime pugnant'. Itaque Fleischeri (observ. crit. p. 11 — 13) coniecturam quamvis speciosam ,cap. 14 extr. ,eximia virtute clamore facto adversarii proelium facere coeperunt', utpote ab scriptoris consuetudine alienam, iudico esse falsam. Hoc discrimen in utendis verbis profecto de industria esse factum, eo magis est perspicuum ,quod etiam voces, quibus certe despicientia quaedam inest, de Pompeianis adhibitas reperimus. Velim ipse perlegas hos locos: 1,4 ,ut .... ex eius pecunia latronum largitio fieret', 40,5 ,fugientes latrones dum persecun-

tur'. 36,2 ,Quod Caesar cum animadverteret ... ut homines perditi incenderent'.

Postquam igitur paucis attigimus scriptorem ipso verborum usu Caesaris studiosum aperte se praestitisse, nunc ad maiores res animos intendamus et suspicione quadam totum libellum perscrutemur. In primo capite, quo res ante Caesaris adventum in Hispania gestae paucis verbis narrantur, vulgo haec traduntur: ,Pharnace superato[1]), Africa recepta, qui ex his proeliis cum adolescente[2]) Cn. Pompeio profugissent, cum et ulterioris Hispaniae potitus esset ...' Etsi hunc locum mutilum esse constat, id tamen ex his verbis intellegendum esse videtur, Cn. Pompeium Africa amissa i. e. clade accepta cum reliquiis exercitus in Hispaniam confugisse. Haec sententia valde confirmatur iis, quae insecuntur; nam verba: ,in fidem uniuscuiusque civitatis confugit' et ita partim precibus .... bene magna manu comparata ...' nihil aliud demonstrant nisi Pompeium supplicem ad Hispanos venisse et ab iis perfugium auxiliumque petiisse. Contra ea in eodem capite legimus Pompeium non solum precibus, sed etiam vi magnam manum comparasse, latronibus allectis copias in dies auxisse, oppida adversaria vi cepisse, provinciam vastasse, ulteriore Hispania potitum esse. Certe maxime mirum est, eundem Pompeium eodem tempore res tam diversas gessisse. Mihi quidem incredibile esse videtur, ducem in fidem uniuscuiusque civitatis receptum eundem provinciam vastasse, totam terram subegisse.

Ceteros auctores, qui aliquid de hac re scriptum reliquerunt, consilio adhibeamus. Dio Cassius in libro XLIII c. 29 et 30 copiosissime narrat: Hispanos, qui a Caesaris legato Q. Cassio Longino defecerint neque successori eius C. Trebonio fidem semper servaverint, legatos ad Caesaris adversarios in Africam misisse, ut eos sibi adiungerent. Itaque Cn. Pompeium statim quidem anno 47 — ante pugnam apud Thapsum commissam — Africa relicta in Hispaniam versus navigasse, sed in insulis Balearibus morbo detentum esse. Interea Caesarem

---

[1]) Cod. Leid. ,Scipione superato'; Cod. Vindob. ,Pharnace rege superato'.
[2]) Cod. Paris. sec. ,adolescentes'; Cod. Vindob. ,adulescentules'.

in Africa secundo Marte conflixisse et apud Thapsum magnam victoriam de hostibus reportasse. Qua victoria nuntiata Hispanos veritos, ne prius opprimerentur quam Pompeius adveniret, eum non exspectasse, sed, ut se defenderent, T. Qu. Scapulam et Q. Aponium sibi praefecisse. Simul autem Pompeius ad Hispaniam appulerit, eum ab omnibus fere probitatis atque virtutis patris memoribus benevolentissime receptum ac ducem declaratum esse. Undique homines ad eius arma concurrisse, postea reliquias eius partium ex Africa accessisse, ut Q. Pedius et Q. Fabius Maximus, Caesaris legati, vim eius sustinere non potuerint.

Quae singula etiam ab aliis scriptoribus demonstrata reperimus: auctor quidem belli Africani in capite 23 refert: ‚Ita male re gesta (ad Ascurum) Cn. Pompeius filius naves inde avertit neque postea litus attigit classemque ad insulas Baleares versus confugit.' Hispanos autem ad Pompeium transisse apparet ex iis verbis, quae Plutarchus in vita Catonis cap. 59 hunc proelio apud Thapsum facto dicentem fingit: ‚Ἰβηρίας τε πρὸς Πομπήιον ἀφεστώσης τὸν νέον. Confer B. Alex. c. 64. Quantum vero apud Hispanos grata memoria patris Pompei valuerit, testatur Velleius Paterculus II,55 ‚undique ad eum (adol. Pomp.) adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus'.

Ita videmus Dionem Cassium aliosque scriptores inter se optime consentire, ut vera ab iis prodita esse mihi persuasum sit, nostrum autem auctorem et multis omissis et multis aliter expositis longe ab illis abhorrere. Quaeritur igitur, utrum res ignoraverit an recte explicare noluerit. Quod ipse pugnis in Hispania factis interfuit, inde satis perspicuum est auctorem illarum rerum non fuisse ignarum. Huc accedit, ut scriptor (cap. 33) Scapulam totius seditionis caput nominet, cum antea nihil de ulla seditione commemoraverit, in capite 7 plus duas legiones a Trebonio defecisse narret, in primo confiteatur Pompeium ulteriore Hispania potitum esse, nonnullas civitates sua sponte auxilia misisse, in capite 42,6 Caesar Hispaniensibus obiciat ‚vestro impulsu Pompeius provinciam depopulavit'; quibus ex omnibus locis facile comprehendimus auctorem, ut res se habuissent, non effugisse. Etsi autem tantum abest, ut scriptorem eo ipso, quod non haec omnia attulerit, Caesaris cupidum se praebuisse dicam, ut nonnulla ex bre-

vitatis studio[1]) praetermissa esse concedam, tamen cum omnes fere omissiones et discrepantiae ad Pompei incommodum spectent, auctorem crimine factionis non plane absolvendum esse censeo.

Restat, ut illa, quae ab aliis scriptoribus non aperte refutantur, sed rationi contradicunt, investigem ac reiciam. Atque primum auctor noster, si cap. 1,2 memoriae prodit: ‚magna comparata manu provinciam vastare', falsum crimen Pompeianis infert; nam neque unus ex aliis scriptoribus ullam eiusmodi accusationem edit, neque prudentis est fines amicorum vastare atque depopulari. Quamquam negari non potest, copias Pompei, quae ex hominibus cuiusque generis consistebant[2]), iniurias sceleraque commisisse, longe tamen abest, ut Pompeius ipse rapinarum et depopulationum insimulandus sit. — Multo magis mihi suspecta esse videntur, quae in capite 1,4 scripta leguntur: ‚ex quibus si qua oppida vi ceperat, cum aliquis ex civitate optime de Cn. Pompeio meritus civis esset, propter pecuniae magnitudinem aliqua ei inferebatur causa, ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum largitio fieret'. Nam Pompeium viros de se aut de suo patre (ut Schneider explicat) optime meritos cupiditate auri argentique permotum sustulisse, a fide ita abhorret et alia auctoritate adeo caret, ut Oudendorpius scribere proponat: ‚de C. Caesare', Nipperdeius haec quasi ‚a magistro adiecta' eiciat.[3]) Quas sententias amplecti nequeo, cum hac mutatione sensus loci tollatur. Ex verbis ‚latronum largitio' et ex toto narrationis tenore certe elucet hic Pompeium in magnum crimen vocari. Quodsi auctor prodidisset Pompeium in adversarios sive de Caesare sive de civitate Caesaris studiosa optime meritos severe consuluisse eosque pecuniis privasse, his verbis nescio an nihil criminationis contineretur. Nam quotusquisque veterum dux fuit, quin acerrima alterius factionis capita eaque ditissima circumveniret eorumque bona publicaret? Immo vero, cum de pecunia sola ageretur (propter pecuniae magnitudinem), ne comprehendi quidem poterat, cur Pompeius non ex belli iure pecuniam imperavisset, sed in urbe per vim expugnata aliquam

---

[1]) Etiam pugna navalis apud Carteiam Caesarianis secunda (cfr. Dio Cass. XLIII,31 Flor. epit. IV,2) silentio omittitur.

[2]) cfr. App. bell. civ. II,103.

[3]) cfr. *Nipperd.* praef. p. 229.

causam simulasset (aliqua ei inferebatur causa). Itaque scripturam ‚de Cn. Pompeio meritus‘ esse tenendam et calumniam auctoris interpretandam equidem arbitror. — Etiam verba ‚latronum largitio‘, etsi Pompeius animos militum omni modo sibi conciliare studuit, iustum modum excedunt. Dio Cassius mihi verum tradere videtur: XLIII,30 ‚*οὐδὲν ὅ τι οὐχὶ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ τοῖς λοιποῖς ἐχαρίζετο. οὗτοί τε οὖν αὐτῷ καὶ διὰ τοῦτο πολὺ προθυμότεροι ἐγένοντο καὶ τῶν ἐναντίων συχνοὶ καὶ μάλισθ‘ ὅσοι σὺν τῷ Ἀφρανίῳ ποτὲ ἐστράτευντο, προσεχώρησαν.* Ex his primi capitis locis cognosci potest scriptorem nostrum vera partim concessisse, partim calumniis et criminationibus ita adumbrasse, ut facile de Pompeio inicum iudicium faciamus.

Ex secundo capite comperimus Caesarem omnium et amicorum et adversariorum exspectatione celerius advenisse in Hispaniam,[1] ut equitatum, quem Q. Pedio et Q. Fabio Maximo legatis suis imperabat, sibi non praesidio haberet. Inde quod Caesarem longam viam tam mirabili celeritate emensus est et equites in Hispania conscriptos (‚equitatus, qui ex provincia fuisset‘) sibi praesidio esse voluit, certo apparet eum non magnis copiis comitatum in provinciam esse profectum. Cum autem Caesariani in Hispania haudquaquam adversariis se pares sensissent et auxilia crebris nuntiis sibi postulassent (cap. 1 extr.), illum ex Italia copias subsidio adduxisse[2] manifestum est. Itaque plane me consentientem habet Dio Cassius, qui XLIII,32 haec scripta reliquit: ‚*τὸ πλεῖον στράτευμα κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπελέλειπτο*‘.

Tertio et quarto capite expositum invenimus Caesarem precibus legatorum permotum, simul in Hispaniam venerit, Uliae, quod oppidum ei unum in Baetica fidem tenebat et iam aliquot menses oppugnabatur a Cn. Pompeio, sex cohortes, pari equites numero subsidio misisse. Quibus L. Junio Paciaeco duce contigisse, ut tempestate adversa recta per adversariorum praesidia contenderent et in urbem signo dato reciperentur. (Verba auctoris ipsius, quae accurate inspicias velim, sunt

---

1) cfr. Suet. vit. Caes. c. 56; Dion. XLIII,32; App. bell. civ. II,103; Strab. III,160; Oros VI,16.

2) cfr. App. bell. civ. II,103: Ὁ δὲ Καῖσαρ ἧκε μὲν ἀπὸ Ῥώμης ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέραις, βαρυτάτῳ στρατῷ μακροτάτην ὁδὸν ἐπελθών.

haec: ,Ita cum ad eum venerunt, iubet binos equos conscendere, et recta per adversariorum praesidia ad oppidum contendunt. Mediisque eorum praesidiis cum essent..... unus ex nostris respondit, ut sileat verbum facere: nam id temporis conari ad murum accedere, ut oppidum capiant; et partim tempestate impediti vigiles non poterant diligentiam praestare, partim illo responso deterrebantur'). Inde eruptione in castra adversariorum facta magnam partem hominum, qui in his castris essent, se prope captos esse existimasse. Hoc misso ad Uliam praesidio Caesarem ipsum, ut Pompeium ab ea oppugnatione deduceret, Cordubam petiisse exque itinere loricatos viros fortes cum equitatu praemisisse. Hos cum oppidanis congressos tantum fecisse proelium, ut ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent. Quo timore adductum Sext. Pompeium, qui Cordubam tenebat, fratrem suum arcessivisse.

Ex his rebus quaedam mihi mirae ac dignae, de quibus copiosius disseram, esse videntur: 1) ,sex cohortes, pari equites numero'. Cum legiones Caesarianae circiter quinum milium fuerint militum [1]), consequens est, ut Caesar duo vel tria milia equitum Uliae miserit subsidio. Atqui ex capite secundo intelleximus Caesarem neque ipsum multos equites secum duxisse neque in Hispania equitatum, quem voluerit, collectum invenisse. Quoniam autem scriptor, qui discrimina temporis diligentissime significavit [2]), tertium caput, quo Uliam oppugnatam et auxiliis adiutam esse proditur, his verbis ,erat idem temporis' inseruit, inter adventum Caesaris in Hispaniam et praesidium Uliae missum haudquaquam longa mora est interponenda. Ne mori quidem Caesaris responderemus, si eum sociis valde vexatis auxilio venire diu cunctatum esse arbitraremur. Quapropter neque equites in Hispania a Pedio et Fabio Maximo collectos antea Caesari attributos esse neque exercitum in via relictum iam advenisse statuendum est;

---

[1]) cfr. Marquardt, röm. Staatsv. II_{424} A. 2: Die Normalstärke der Legionen Caesars, über welche eine Nachricht nicht vorliegt, taxiren Lange p. 18 und v. Göler S. 43 auf 5000 M, nämlich 10 Cohorten zu 480 M. und 300 antesignani.

[2]) cfr. Nipperd. praef. p. 24: ,Item hic quoque liber res gestas secundum temporis ordinem habet dispositas, sed adeo fastidiose, ut in longe maxima parte, inde ab obsessione Uliae usque ad pugnam Mundensem, non tantum, quid unoquoque die gestum sit, separatim referatur, sed etiam dies et noctes atque partes earum diiungantur'.

itaque equitum numerum, qui libello nostro indicatur, in maius esse elatum censeo.

2) Verba ,binos equos conscendere' nihil profecto aliud significant quam quod in capite quarto legitur, pedites in equos esse receptos, ut bini singulis equis veherentur. Hanc proficiscendi rationem aut per dolum, ut adversarii decipiantur, aut eo consilio, ut iter celerius fieri possit, adhiberi perspicuum est. Etsi igitur ex his causis aliquid simile fieri posse concedo, tamen, num revera sit factum, maxime dubito, primum quod mihi non verisimile est Caesarianos bis fere eodem tempore hac arte usos esse, deinde quod nemo scriptor, ne Dio Cassius quidem, qui res apud Uliam gestas accurate rettulit, huius facti mentionem fecit, tum quod non memini me omnino usquam legere pedites equis esse receptos. Confer bell. gall. I,48, unde expeditos, quos Germani equitibus attribuerant, iubis equorum sublevatos cursum adaequasse comperimus.

3) Nullam fidem habere videtur custodes aut tam stultos atque dementes fuisse, ut nihil mali compluribus equitum milibus transeuntibus suspicarentur, aut tam officii neglegentes, ut quamquam periculum ab hostibus imminere videbant, non tamen muneri satisfacerent.

4) Valde mirum est illa eruptione, in qua ,existimant prope magna pars hominum, qui in his castris fuissent, se prope captos esse', Uliae obsidionem non esse solutam. Immo vero in extremo quarto capite scriptum exstat Cn. Pompeium Ulia prope capta litteris fratris excitum ab hac urbe abisse et cum copiis ad Cordubam accessisse. Hi duo loci quin inter se contradicant, dubium non est.

5) Nemini facile est ad credendum milites ad Cordubam praemissos tantum proelium commisisse, ,ut ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent'; praesertim cum Caesar paulo post Corduba invicta discesserit.

Huic memoriae multis de causis in suspicionem vocatae narratio Dionis Cassii est opponenda, apud quem legimus XLIII,32, *Καὶ ὁ μὲν (Καῖσαρ) καὶ ἀπ' αὐτοῦ τούτου, τῆς τε παρουσίας τῆς αὐτοῦ μόνης, καὶ ἐς τὰ ἄλλα καταπλήξειν τὸν Πομπήιον καὶ ἀπὸ τῆς πολιορκίας ἀπαλλάξειν ἤλπισεν· τὸ γὰρ πλεῖον στράτευμα κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπελέλειπτο· ἐκεῖνος δὲ ἕνα τε ἄνδρα ἑνὸς οὐ πολὺ διαφέρειν νομίζων, καὶ τῇ ἰσχύι*

ἑαυτοῦ πάνυ θαρσῶν, οὐκ ἐξεπλάγη πρὸς τὴν ἄφιξιν αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ προσήδρευε τῇ πόλει καὶ τὰς προσβολὰς ὁμοίως ὥσπερ καὶ πρὶν ἐποιεῖτο. ὁ οὖν Καῖσαρ ἐκεῖ μὲν ὀλίγους στρατιώτας ἐκ τῶν προαφιγμένων κατέλιπεν, αὐτὸς δὲ ἐπὶ Κόρδουβαν ὥρμησε, τὸ μέν τι καὶ αἱρήσειν αὐτὴν ἐκ προδοσίας ἐλπίσας, τὸ δὲ δὴ πλεῖστον ἀπάξειν ἀπὸ τῆς Οὐλίας τὸν Πομπήιον τῷ περὶ αὐτῆς φόβῳ προσδοκήσας. καὶ ἔσχεν οὕτως· τὸ μὲν γὰρ πρῶτον μέρος τι τοῦ στρατοῦ κατὰ χώραν ἐάσας ἔς τε τὴν Κόρδουβαν ἦλθε, καὶ κρατυνάμενος αὐτὴν, οὐχ ὑπομείναντός σφας τοῦ Καίσαρος, τῷ ἀδελφῷ τῷ Σέξτῳ προσέταξεν· ἔπειτα δὲ ὡς οὔτε τι πρὸς τῇ Οὐλίᾳ ἐπέραινεν, ἀλλὰ καὶ πύργου τινός, καὶ τούτου οὐχ ὑπὸ σφῶν κατασεισθέντος, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἀπ' αὐτοῦ ἀμυνομένων καταμαγέντος, ἐσῆλθον μέν τινες, οὐ μὴν καὶ καλῶς ἀπήλλαξαν, καὶ ὁ Καῖσαρ πλησιάσας σφίσιν ἐκείνοις τε βοήθειαν νυκτὸς λαθὼν ἐσέπεμψε καὶ αὐτὸς πρός τε τὴν Κόρδουβαν αὖθις ἐστράτευσε καὶ ἐς πολιορκίαν αὐτὴν ἀντικατέστησεν, οὕτω δὴ τῆς τε Οὐλίας παντελῶς ἀπανέστη καὶ ἐκεῖσε παντὶ τῷ στρατῷ οὐ μάτην ἠπείχθη.

Res ita relatae maximam partem rationi convenire et fide dignae esse videntur. Primo enim paucos tantum Uliae venisse auxilio ex iis, quae supra de Caesaris viribus demonstravimus, facile intellegas; Caesarem ipsum eo contendisse ex illius, qui ipse omnibus expeditionibus et proeliis intererat ac praeerat, consuetudine plane cognoscas. Neque spes hostem ipso Caesaris adventu ab oppugnatione deterritum iri offensionem habet, quod idem Pompeius fama de illius adventu perlata ulteriorem Hispaniam reliquisse traditur[1]); quae narratio re ipsa confirmatur, quod Pompeius non in ulteriore Hispania, sed in Baetica Caesari restitit. Caesarem, cum hac spe esset falsus et praesidia adversariorum summa difficultate perrumpi posse animadvertisset (nam occulte tantum contigit, ut copiae in urbem reciperentur), cum toto exercitu, interea expedito, ad Cordubam, ut hostem ab Ulia deduceret, contendisse valde verisimile eodemque consilio (cap. 6 init.) probandum est. Cn. Pompeium autem hostibus ad Cordubam profectis demum illam urbem munivisse et fratri suo Sexto defendendam tra-

---

[1]) cfr. Dio. Cass. XVIII,$_{31}$,ἐπεὶ δὲ τῶν τε προπεμφθέντων τινὲς ἐκ τῆς 'Ρώμης ἀφίκοντο καὶ προσεδοκήθη καὶ ὁ Καῖσαρ ἥξειν, φοβηθεὶς ὁ Πομπήιος, καὶ νομίσας οὐχ ἱκανὸς εἶναι πᾶσαν τὴν Ἰβηρίαν κατασχεῖν, οὐκ ἀνέμεινε πταίσας γε μεταγνῶναι, ἀλλ' εὐθύς, πρὶν πειραθῆναι τῶν ἐναντίων, ἐς τὴν Βαιτικὴν ἀνεχώρησεν.

didisse et ipsum ad Uliam revertisse, ut credam non adducor, sed sententia mea est haec: Cn. Pompeium munitionibus et praesidiis Cordubae iam antea institutis fretum primo Uliam oppugnare non destitisse, postea cum auxiliis hostium in urbem clam missis facultas expugnandi si non in perpetuum, certe in longum esset sublata et Sextus frater, ut celeriter sibi subsidio veniret, litteras misisset, Ulia relicta cum copiis ad Cordubam esse profectum.

Ex hac duorum scriptorum comparatione derivanda sunt haec: 1) auctor noster silentio praetermittit Caesarem, ubi in Hispaniam advenerit, frustra ad Uliam signa tulisse; 2) Dio Cassius sane concedit auxilia occulte (νυκτὸς λαθών) Uliae esse iniecta, sed nihil commemorat de mira, qua auxilia in urbem venerint, ratione, nihil de eruptione ex oppido facta, nihil de magna, quam Caesariani apud Cordubam ediderint, clade. Etsi igitur haec omnia mente auctoris fictas esse nego, ea tamen non ita magni momenti fuisse, sed a scriptore, ut irritum Caesaris inceptum occultaretur, nimis exornatas ac exaggeratas esse arbitror.

In quinto capite, quo auctor rerum apud Cordubam gestarum memoriam continuavit, legimus haec: ‚(Caesar) ponte facto copias ad castra tripartito traduxit. Huc cum Pompeius cum suis copiis venisset, ex adverso pari ratione castra ponit. Caesar, ut eum ab oppido commeatuque excluderet, brachium ad pontem ducere coepit'. Rectissime Clarkius de hoc ponte commemoravit: ‚non illum, ut opinor, quem fecerat Caesar ad exercitum suum traducendum, sed pontem alium oppido propinquiorem; quamquam nihil dilucide narratur'. Haec sententia certo est probanda, quod verba, quae paulo infra exstant: ‚hic inter duces duos fit contentio, uter prius pontem occuparet', si unus et idem pons esset, quem Caesar posuit, nullum facerent intellectum. Qua de contentione auctor pergit: ‚cotidiana minuta proelia fiebant, ut modo hi, nonnunquam illi superiores discederent. Quae res cum ad maiorem contentionem venisset, ab utrisque comminus commissa (cum Dintero) pugna iniqua, dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur, fluminis ripas appropinquantes coangustati praecipitabantur. Hic

alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant‘.

Huic narrationi Dio contradicere videtur XLIII,32 dicens ‚*οὕτω δὴ τῆς τε Οὐλίας παντελῶς ἀπανέστη καὶ ἐκεῖσε παντὶ τῷ στρατῷ οὐ μάτην ἠπείχθη. προπυθόμενος γὰρ τοῦτο ὁ Καῖσαρ ἀπεχώρησεν· νοσῶν γὰρ ἐτύγχανεν*‘. Si enim ex participio ‚*προπυθόμενος*‘ aliquid colligere licet, omnino Caesarem iam ante Pompei adventum Corduba abisse statuendum est. Nihilo minus in sententia maneo pugnam, cuius noster auctor mentionem fecit, initam, sed a Dione, qui singulas tantum belli partes accuratius descripserit, silentio praeteritam esse. Neque enim est, cur Caesarem, qui Pompeio bellum illaturus provinciamque erepturus in Hispaniam venerat, apud Cordubam adversarium vitasse eoque accedente, sicut ignavum, effugisse arbitremur; neque habemus, quod auctorem has pugnas, quae Caesaris gloriam magis minuant quam augeant, commentum esse ducamus. Sane si ipsa auctoris verba leviter ac temere sequimur, utrosque dubio Marte dimicasse et eventum proelii ambiguum fuisse credimus, sed si totum expositionis contextum diligentius inspicimus, Caesarianos discessisse inferiores facile intellegimus. Nam extrema quinti capitis sententia demonstratur Caesarem apud Cordubam adversarios in aequum locum illicere et primo quoque tempore de bello decernere conatum esse. Is autem dux, qui bellum brevi conficere vult, neque ullam pugnandi potestatem neglegit neque vero initum proelium nisi adverso Marte intermittit neque locum, qui ad hostem ab oppido commeatuque excludendum plurimum valet, nisi maximis causis deserit. Quod igitur Caesar haec omnia admisit seque in campum recepit, inde facile apparet eum ad pontem detrimento accepto hostes sustinere non potuisse. Ceterum ipsa, qua infelix pugnae eventus exponitur, ratione suspicio mea confirmari videtur. Cum enim auctor alias semper numerum utrobique caesorum nominatim significet, nunc communibus atque tumidis vocibus ad exitum proelii describendum utitur. Itaque iure concludimus magnum Caesaris detrimentum non plane negari, sed vanis inanibusque verbis, quae etiam ad hostes pertinent, velari atque occultari.

A capite quinto usque ad caput undevicesimum res, quae ad oppugnationem et deditionem Ateguae spectant, copiosius narrantur. Caesar, cum neque ad urbem Cordubam prosperum successum consequi

neque hostes in aequum locum deducere potuisset, aliud Pompei praesidium, ut eum Corduba detraheret, aggrediendum statuit. Quare autem ipsam Ateguam, quae erat firmissima (cfr. cap. 6,2; Dio XLIII,33 ,*Καίτοι καρτερὰν οὖσαν*) petierit, auctor silentio praetermittit, Dio Cassius veram causam affert memoriae prodens in hoc oppidum magnam frumenti copiam fuisse congestam. Quod sibi acquirere illius tanto plus interfuisse censeo, quanto propius instabat hiems (cfr. cap. 6). — Cum Pompeius adversarios hieme arma non laturos esse ratus e vestigio persequi intermisisset (cfr. cap. 6 ,ad Cordubam se recepit'), sed munitionibus illorum per nuntios cognitis demum ad Ateguam esset profectus, factum est, ut Caesar nullo impediente complura castella occuparet (cap. 6) et maximam munitionum partem conficeret. — Adventu Pompei incidit nebula crassissima, ut Caesaris equites in stationibus oppressi interficerentur.

Hactenus duo scriptores consentire videntur; at Dio solus scriptum reliquit XLIII,34 ,*ἐπειδή τε ἀστρατήγητοι οἱ ἔνδον ἦσαν, Μουνάτιον αὐτοῖς Φλάκκον ἐσέπεμψεν. ἠδυνήδη γὰρ ἐκεῖνος ὧδε εἴσω παρελθεῖν. νύκτωρ τῶν φυλάκων τινὰς μόνος, ὡς καὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐς ἐφοδείαν ἀπεσταλμένος, ἀνήρετο τὸ σύνθημα, καὶ μαθὼν . . . . . ἐκείνους μὲν εἴασεν, ἐκπεριελθὼν δέ ἑτέρωσε τοῦ περιτειχίσματος ἄλλοις τισὶ φύλαξιν ἐνέτυχε, καὶ τό τε σύνθημα αὐτοῖς εἰπών, καὶ ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως εἶναι πλασάμενος, δι' ἑκόντων τε αὐτῶν καὶ παραπεμπόντων γε ἐσῆλθεν.* Huic memoriae, etsi a nostro scriptore non comprobatur, tamen fides est habenda. Nam et ex capite undevicesimo nostri ipsius libelli elucet Munatium Flaccum revera imperium Ateguae tenuisse neque, cum Pompeius, ut supra demonstravimus, omnes fere copias et ad Uliam expugnandam et ad Cordubam defendendam adhibuisset neque, ut Ategua oppugnaretur, exspectavisset, dubium est, quin Ategua ante Caesaris adventum perito ac callido duce caruerit. Quodsi res ita se habet, auctorem nostrum, qui omnium rerum illic gestarum gnarus et in libro suo diligentissime memor esset, hunc casum consulto praetermisisse apertum est. Nimirum ei ingratum fuisse videtur confiteri Caesarianos ab adversario quodam esse deceptos.

In capite septimo scriptum legimus Pompeium trans flumen Salsum inter oppida Ateguam et Ucubim in monte castra posuisse n e q u e s u i s a u s u m e s s e s u b s i d i o v e n i r e. Tum auctor pergit his verbis:

aquilas et signa habuit tredecim legionum; sed ex quibus aliquid firmamenti se existimabat habere, duae fuerunt vernaculae, quae a Trebonio transfugerant; una facta ex coloniis, quae fuerunt in his regionibus; quarta fuit Afraniana ex Africa, quam secum adduxerat. Reliquae ex fugitivis ...... auxiliares consistebant. Nam de levi armatura et equitatu longe et numero nostri erant superiores'. Quod igitur haec ipsa illam narrationem excipiunt, certe omnium animos cogitatio subit Pompeium, quamvis magnis copiis praeesset, tamen firmamento i. e. fortitudine atque viribus exercitus diffisum cum adversariis confligere aut urbi subsidio venire non esse ausum. Haec suspicio firmatur atque augetur iis, quae insecuntur. Nam capite octavo accuratissime exponitur, qualis fuerit regionis natura, quantaeque loci difficultates Caesari superandae fuerint. Cum autem fieri soleat, ut quod unis partibus adversum est, idem alteris sit secundum, naturam loci Pompeio non solum non difficilem, sed etiam aequissimam fuisse statuendum est. Quodsi Pompeius, quamquam loco erat multo superior, manus conserere non ausus est, nihil aliud excogitari potest, quam quod minimam de suis copiis opinionem habebat. Hac autem cunctandi causa, quam ex libello unam haurire possumus, Pompeianorum famae maxime obtrectari, quis est qui neget? Scriptorem profecto id studuisse, ut pessime de Pompei exercitu iudicaretur, evidenter perspicuum est ex capite nono, ubi traditur Pompeianos castra Postumiana, quae erant trans Salsum, aggressos, sed tribus legionibus Caesaris appropinquantibus fuga perterritos multos esse interfectos.

Postquam igitur auctorem ab adversariis omne firmamentum abiudicare vidimus, nobis est quaerendum, utrum ille aecum an inicum fecerit iudicium. Alii scriptores, etsi multos homines leves et indignos in Pompei exercitum irrepsisse concedunt, multo tamen melius de eius viribus iudicant. Appianus quidem maximam earum opinionem nobis commovet scribens bell. civ. II,103, *Τῶν τε γὰρ ἀρίστων, ὅσοι διεπεφεύγεσαν ἐκ Λιβύης ἐκεῖ συνέδραμον. Καὶ στρατὸς, ὁ μὲν ἐξ αὐτῆς Λιβύης τε καὶ Φαρσάλου τοῖς ἡγεμόσι συνῆλθεν, ὁ δὲ, ἐξ Ἰβήρων τε καὶ Κελτιβήρων, ἔθνους ἀλκίμου καὶ χαίροντος ἀεὶ μάχαις. πολὺς δὲ καὶ δούλων ὅμιλος ἐστρατεύετο τῷ Πομπηΐῳ καὶ τέταρτον ἔτος εἶχον ἐν τοῖς γυμνασίοις, καὶ γνώμην ἕτοιμον ἀγωνίσασθαι μετὰ ἀπογνώσεως....*

Δέος δ' οἷον οὐ πρότερον, ἐνέπιπτεν αὐτοῦ (Καίσαρος) τῷ στρατῷ κατὰ δόξαν τῶν πολεμίων τοῦ τε πλήθους καὶ ἀσκήσεως καὶ ἀπογνώσεως'. Ceterum iam supra demonstravimus Pompeianos, ut Cordubam liberarent, cum hostibus contendisse ac superiores discessisse, ut infirmitate copiarum Pompeium, quominus obsidionem Ateguae eximeret, impeditum esse negem.

Restat igitur, ut paucis, qua de causa ille oppido non venerit auxilio, explicem. Pompeius sperans et firmitatem oppidi et ineuntem hiemem ab iusta oppugnatione detenturam esse Caesarem e vestigio non persecutus est — quod peccatum maximum hoc bello commisit —, sed ei ad singula castella occupanda (cfr. cap. 6) et munitiones, quae ad oppugnandum opus sunt, instituendas (cfr. cap. 7) facultatem dedit. Itaque hostes munitionibus firmatos aequissimo loco invenit, ut nisi maxime iniquam et periculosam pugnam pugnare non posset. Praeterea ex capite octavo et nono intellegimus adversarios etiam trans Salsum castra posuisse — castra Postumiana —, ut Pompeius manus conserens non solum a fronte, sed etiam a tergo hostes habiturus fuerit. Nequaquam igitur mirum est illum in rebus tam adversis cum Caesare confligere non ausum esse neque Africa amissa extremam salutem temere in aleam dedisse. Ita primo nihil aliud facere potuit quam ut prope urbem consisteret et periculum, quod a tergo imminebat, primo quoque tempore depelleret. Profecto illud castellum expugnare conatus, sed nescio quo pacto ab adversariis repressus est. Sin autem Pompeianos, quod sibi proposuissent, non assecutos esse confiteor, tamen hanc rem a scriptore depravatam esse censeo. Mihi enim incredibile est circa tredecim legiones appropinquantibus tribus legionibus perterritas in fugam se dedisse, praesertim cum castra circiter quattuor milia passuum abessent. Ex hac consideratione aperte elucet res a scriptore nostro ita esse narratas ac dispositas, ut eas incommodo Pompeianorum fallaci iudicio videamus.

Cum igitur hoc consilium male cessisset, spes Pompeium prospero eventu cum adversariis dimicare et oppidi obsidionem solvere posse erat sublata; itaque oppidani excursione facta ad eum iter aperire conati, sed in urbem repressi sunt. Verba auctoris ipsa velim conferas cap. 12,5 et 6: ,Praeterito noctis tempore eruptionem ad legionem sextam fecerunt, cum in opere nostri distenti

essent, acriterque pugnare coeperunt; quorum vis repressa a nostris, etsi oppidani superiore loco defendebantur. Hi cum eruptionem facere coepissent, tamen virtute militum nostrorum, etsi inferiore loco premebantur, tamen repulsi adversarii bene multis vulneribus affecti in oppidum se contulerunt.' Inde facile cognoscas scriptorem non satis habere rem gestam simplici dicendi ratione referre, sed ut suorum virtutem et gloriam amplificet, idem duobus enuntiatis narrare et exponere. Omnino auctor rebus adversis atque iniquis, quae suis erant subeundae, accurate fere describendis animum et fortitudinem illorum quam vehementissime illustrari vult. Confer hosce locos: 15,2 ,Cum pedites . . . ad pugnam equitibus nostris necopinantibus venissent, tamen adversariorum ceciderent CXXIII'. 16,4 ,Quod factum licet necopinantibus nostris esset gestum, tamen virtute freti repulsos multisque vulneribus affectos oppido represserunt'. 23,6 ,equites nostri transgressi inferiore loco adversarios ad vallum agere coeperunt . . . . quorum nisi summa virtus fuisset, vivi capti essent'. 24,5 ,Quibus mons, non virtus saluti fuit. Quo subsidio, nisi advesperasset, a paucioribus nostris omnique auxilio privati essent (cum Oudendorpio)'.

Id studium eo memorabilius mihi esse videtur, quod omnes Caesarianorum clades ex rebus alienis, quae ad animos militum non pertinent, emanasse demonstrat: nunc naturam loci suis iniquam fuisse ostendit: 23,2 ,Hic cum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt nec defugientibus (cum Dintero) nostris multis telis iniectis complures vulneribus affecere'. 23,4 ,ex superiore loco multitudine telorum alter eorum concidit'. 25, ,Cum in opere distenti essent, equites in oliveto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot'; — nunc tempestates aliasque res ad damna Caesarianorum excusanda profert: 6,3 ,incidit, ut matutino tempore nebula sit crassissima. Ita illa obscuratione cum aliquot cohortibus et equitum turmis circumcludunt Caesaris equites et concidunt, sic ut vix in ea caede pauci effugerent'[1]. 19,2 ,Eodem tempore . . . turrim nostram . . . . . incenderunt, idcirco quod ventum oppidani secundum habuerunt'.

[1]) cfr. Dio. Cass. XLIII,34.

— nunc adversarios opibus tantum praevaluisse, ut nemo eos sustinere posset, significat: 13,1 ,et cum nostri equites pauci in statione fuissent a pluribus reperti, de statione sunt deiecti et occisi tres'. 19,2 ,aliquot turmae cum levi armatura impetu facto loco sunt deiecti et propter paucitatem nostrorum equitum simul cum levi armatura inter turmas adversariorum protriti'. Etiam Didium, qui a Lusitanis circumventus et oppressus est, honorificis verbis praedicatum atque laudibus elatum invenimus; nam in capite 40 scriptum legimus: Huic (Didio) etsi non aberat diligentia ad naves tuendas, tamen nonnunquam ex castello... eliciebatur .... Didius magna cum virtute cum compluribus interficitur. — Hac comparatione certo apparet scriptorem in narrandis rebus summam integritatem non semper servasse.

Eandem iniquitatem in prodendis caedibus extra proelia factis auctor prae se fert, non quod omnia Caesarianorum facinora silentio omittat, Pompeianorum accurate explicet, sed quod illa solita et ex rebus nata, haec ex militum crudelitate et acerbitate exorta fingit. Inter omnes constat hoc ipsum bellum, cum minus de victoria et imperio quam de vita et salute pugnaretur, summa crudelitate esse gestum et utrasque partes in adversarios quam acerbissime consuluisse. Neque scriptor negat a Caesarianis tabellarios captos praecisis manibus missos esse factos (cap. 12,3) et deprehensos milites speculatoresque interfectos (cap. 16,4; 13,2; 20,3) et omnes, qui coniuraverant, extra vallum concisos (cap. 36,3). Nullo autem loco ob ea facta indignationem quandam exhibet, nunquam Caesarianos crudeliter fecisse confirmat; immo vero superbia quadam et laetitia refert (cap. 32,1) milites Caesaris post pugnam Mundensem pro caespite cadavera collocasse insuper in gladiorum mucrone capita hominum ordinata ad oppidum conversa, ut ... virtutis insignia viderent'; quod factum Florus, epit. IV,2 nominat: ,foedum etiam inter barbaros'.

Pompeianos autem eximiam crudelitatem saevitiamque non in adversarios, sed in suos hospites nulla de causa adhibuisse et hospitium scelere contaminasse dicit. Confer, quae supra (cap. 1,2) de verbis ,optime de Cn. Pompeio meritus civis' disseruimus. Eandem calumniam etiam his locis significari arbitror: 15,4 ,nefandum crudelissimumque facinus sunt aggressi in conspec-

tuque nostro hospites, qui in oppido erant, iugulare et de muro praecipites mittere coeperunt, sicuti apud barbaros; quod post hominum memoriam nunquam est factum'. 16,5 ,transfuga nuntiavit, Iunium quendam iugulatione oppidanorum facta clamasse: ,facinus se nefandum et scelus fecisse: nam eos nihil meruisse, quare tali poena afficerentur, qui eos ad aras et focos suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse'. 22,1 ,legati profecti sunt, uti rem gestam Ursaonensibus referrent, quid sperarent de Cn. Pompeio, cum vidissent hospites iugulari, praeterea multa scelera ab iis fieri, qui praesidii causa ab his reciperentur'. Quid turpius, quid foedius bellantibus exprobari potest, quo maiore crimine Pompeiani accusari queunt quam si suos hospites sociosque iugulasse dicuntur?

Sane in urbe Ategua multos oppidanos a Pompeii praesidiis esse interfectos certum est et per Valerium Maximum fact. et dict. mem. IX,2,4 confirmatur; sed idem Valerius nobis auctor est Munatium Flaccum Pompeianis praefectum ,non hospites, qui in oppido erant ,verum omnes eius oppidi cives, quos studiosiores Caesaris senserat' et ,feminas virorum, qui in contrariis castris erant', trucidasse. Neminem effugit nostrum scriptorem et Valerium Maximum inter se plurimum discrepare, quod ille oppidanos ipsos, hic oppidanos Caesaris studiosiores occisos esse memoriae prodit. Neque quemquam fallere potest hanc narrationem per se plus auctoritatis et fidei habere quam illam. Sed tamen rem accuratius tractemus et quaestionem instituamus, quare Munatium Flaccum singulos Ateguenses Caesaris studiosiores sensisse et tanta poena affecisse credamus.

Eruptio ob oppidanis facta, ut supra commemoravimus, male successit. Inde ab eo tempore spes salutis iam ita minuta fuisse videtur, ut etiam de urbis deditione cum Caesare ageretur. Nam Pompeianos ab illo potestatem cum armis proficiscendi petisse, sed repulsam tulisse apparet ex tertio decimo capite, quamvis mutilo: ,missos facere loricatos, qui praesidii causa praepositi oppido a Pompeio essent, orabant. Quibus respondit Caesar: se condiciones dare, non accipere consuevisse'. cfr. ibid.

‚**i d e m q u e t e m p o r i s g l a n s m i s s a e s t i n s c r i p t a , q u o d i e a d o p p i d u m c a p i e n d u m a c c e d e r e n t , s e s c u t u m e s s e p o s i t u r u m**‘. Hac potestate a Caesare non permissa Munatium Flaccum, etsi condicio oppidi in dies difficilior fieret, Ateguam quam diutissime defendisse atque retinuisse capitibus 13 — 19 satis perspicuum est. Neque mihi dubium est, quin in his adversis rebus multi cives, sive clam Caesari semper favebant sive tum ab eo solo salutem exspectabant, C a e s a r i s s t u d i o s i o r e s se exhibuerint et oppidanos, ut se suaque omnia victoris fidei committerent, apertis vocibus incitaverint. Nam etiam in aliis urbibus, ut Ucubi (cap. 20), Hispali (cap. 35) Carteia (cap. 36) calamitate adversariorum multos Caesaris fautores exstitisse scimus. Hanc sententiam universam comprobat Dio Cassius scribens XLIII,34 ‚*ὡς οὖν τοῦτό τε αὐτοῖς συνεβεβήκει* (scil. cum oppidani igne et telis Caesarianorum valde violati essent) *καὶ ἡ γῆ ἐπορθεῖτο τοῦ τε τειχίσματός τι ἐξ ὑπονόμων ἔπιπτεν, ἐ σ τ α σ ί α σ α ν, καὶ πρότερος μὲν ὁ Φλάκκος ἐπ' ἀδείᾳ αὑτοῦ τε καὶ συνόντων οἱ πρὸς τὸν Καίσαρα διεκηρυκεύσατο, ἔπειτα δὲ οὗτος μέν (οὐ γὰρ ἠθέλησε τὰ ὅπλα παραδοῦναι) διήμαρτεν αὐτῆς, οἱ δὲ ἄλλοι οἱ ἐπιχώριοι μετὰ τοῦτο καὶ ἐπρεσβεύσαντο καὶ συνέβησαν ἐφ' οἷς ἐκελεύοντο.*

Quodsi res ita se habuit, mihi haudquaquam mirum esse videtur, si dux ab hostibus inclusus et vehementissime vexatus eos, qui alterius factionis cupidiores erant et alios quoque cives detrahere studebant, gravissimis poenis afficere coactus est. Sane negari non potest manus Lusitanas Munatii Flacci, ut erant barbarae et repulsa Caesaris exacerbatae, hoc facinus — per se excusandum — crudelissime commisisse atque ne feminis quidem pepercisse, ita ut Pompeius ipse indignatus sit (cap. 18); at certe hic, qui ipse Caesaris studiosos occidisse narratur (cap. 21,2), non moleste tulit, quod omnino oppidani interfecti, sed quod crudeliter iugulati sunt. — Itaque scriptorem nostrum, quod causas caedis non attulerit, sed adversarios quasi nulla de causa suos amicos trucidasse insimulaverit, valde vituperandum esse censeo.

Cum igitur libera profectio esset denegata, praesidia oppidi iussu Pompei omnibus rebus diligentissime praeparatis noctu summis viribus denuo excursum fecerunt et ad illum, qui trans Salsum totam noctem in acie stabat, se recipere conata, sed iterum fusa ac reiecta sunt. Itaque

Pompeius salute Ateguae desperata ad mare versus profectus est, oppidum autem in Caesaris deditionem venit. cfr. cap. 16—19.

Res, quae inter expugnationem Ateguae et Mundensem pugnam incidunt, capitibus 20—28 auctor noster memoria prodit. Haec libri pars omnibus aliis scriptoribus nos deficientibus eo difficilior ad explicandum est, quo incertiores et mutiliores sunt singuli loci. Quaeritur igitur, quo profectus sit Pompeius. Ex capite 20,$_{1}$,ubi scriptum invenimus: ,Quod Pompeius ex perfugis cum deditionem oppidi factam esse scisset, castra movit Ucubim versus et circum ea loca castella disposuit', certe sequitur, ut Pompeius eo tempore, cum Ategua traderetur, neque apud Ucubim neque ad Ateguam fuerit: illud, quod hoc nuntio demum allato Ucubim castra movit; hoc, quod oppidum in adversarii potestatem venisse non ipse sensit, sed a perfugis comperit. Hunc profecto nonnullis diebus ante urbis deditionem discessisse demonstrant etiam legati Ateguenses, qui se relictos et desertos a Pompeio esse querantur (cap. 17,$_{3}$), et Munatius Flaccus, qui et ipse a Cn. Pompeio desertum se esse contendat (cap. 19,$_{4}$). Quin imo capite 18,$_{5}$ Pompeius contionem habuisse fertur: ,quoniam oppido subsidio non posset venire, noctu ex adversariorum conspectu se deducerent ad mare versum'. Cum autem urbs Ucubis proxima sit Ateguae, vix ut unius diei iter absit[1], Pompeium primo longius a Caesare abisse, postea de Ateguae deditione certiorem factum appropinquasse et Ucubim — antea praeteritam — munivisse statuendum est. Atqui ab omni rationi ac fide abhorret hunc ducem eo stultitiae esse progressum, ut diu temere vagatus deditione demum nuntiata apud Ucubim munitiones inciperet. Immo vero, cum sit apertum eum salute Ategua desperata ab hac urbe discessisse, dubium non est, quin nihil antiquius habuerit quam ut reliqua oppida muniret et tueretur eaque Caesari proxima. Itaque mihi persuasum est Pompeium Ategua recto itinere Ucubim contendisse ibique castella disposuisse. Quo fit, ut verba, quae huic sententiae contraria in nostro libello exstant, falsa iudicem.

---

[1]) cfr. cap. 7,$_{3}$: ,Pompeius habuit posita castra in conspectu utrorumque oppidorum'.

Ex capite vicesimo secundo intellegimus Ursaonenses Caesaris legatos, qui Ateguam esse traditam referrent et illos ad deditionem adhortarentur, ‚praesidio insecutos' concidisse; cum autem comperissent Ateguam revera in Caesaris potestate esse, salute sua desperata (‚illius opera se perisse') eum, qui legatos iugulasset, scil. caedis auctorem lapidare eique manus intentare coepisse. Quem ab oppidanis petiisse, ut sibi liceret legato ad Caesarem proficisci eique satisfacere, et potestate data inde profectum magnaque manu comparata per fallaciam in urbem receptum multis interfectis oppidum in suam potestatem recepisse et acerbissimam dominationem exercuisse. Inde colligendum est Ursaonenses metu Caesaris permotos caedem legatorum lamentatos esse et in deditionem se permittere in animo habuisse, sed ab uno scelesto homine per dolum circumventos et coactos esse, ut inviti Caesari repugnarent urbemque retinerent.

Quae narratio mihi multis de causis in disceptationem vocanda esse videtur: primum quod non habeo, quare oppidani, si revera in Ateguae fortuna Ursaonis salutem positam esse existimassent, non primo maiorem legatorum rationem habituri fuerint, praesertim cum ipsi huius urbis indigenae hunc nuntium attulissent[1]), ut non temere eorum verbis fides abroganda esset; deinde quod Ucubenses, si Caesari satisfacere et caedem resarcire voluissent, sine dubio potius auctorem caedis trucidassent et urbem ipsam tradidissent quam istum nefarium hominem solum ad imperatorem misissent; tum quod nequaquam verisimile est unum virum brevi tantas copias comparasse, ut per fallaciam (?) in urbem receptus omnes cives vi superare posset. Praeterea ex singulis nostri ipsius auctoris verbis dilucide apparet interfectorem legatorum, qui vocatur, in urbe Ursaone amicos fautoresque reliquisse. Nam eum, qui per fallaciam in oppidum optime munitum[2]) recipiatur, opera amicorum niti necesse est; et si scriptum exstat: ‚principibus, qui sibi contrarii fuissent, interfectis', mea quidem sententia sequitur etiam fuisse principes, qui non contrarii essent, i. e. amicos. Oppidanos vero non vi coactos, sed sua sponte Pompei studiosos fuisse ac mansisse mihi demonstrari videtur

[1]) cfr. cap. 22,1 ‚qui in oppido Ategua Ursaonenses capti sint, legati profecti sunt cum nostris'.

[2]) De Ursaonis munitionibus confer cap. 41.

capite 28 „quod Ursaonensium civitati, qui sui fuissent fautores, antea litteras misit.

His rebus consideratis totam narrationem et sibi ipsi et omnium rationi repugnare sentimus. Itaque, cum nemo scriptor in hac difficultate lucem nobis afferat, coniecturis verum est investigandum. Scimus victoriis Caesaris nuntiatis in compluribus Hispaniae urbibus (Hispali cap. 35, Carteia cap. 37) partem civium a Caesare stetisse eiusque rebus favisse, partem Pompei studiosissimos mansisse, ut intra haec oppida discidiis exortis magnae caedes fierent. Quid impedit, quominus deditione Ateguae per legatos perlata etiam Ursaonenses in duas factiones discessisse et inter se vehementissime impugnasse credamus? Ita facile comprehendas, quare uni legatis adversariis quamvis iniuriam intulerint, alteri acerbissimis vocibus eorum caedem repudiaverint atque vituperaverint. Illud autem certum est Pompeianos — fortasse externis auxiliis adiutos [1]) — contentione superiores fuisse, quod urbs usque ad extremum bellum Pompeio fidem praestitit (cfr. cap. 41). Quodsi res sine dubio ita se habuerunt, eas ab auctore maxime depravatas esse neminem effugit.

Cum Caesar deditione Ateguae facta adversarium Ucubim versus secutus esset atque etiam ad flumen Salsum brachium ducere coepisset (cfr. cap. 20 et 23), certo exspectandum est, ut flumen hoc loco transire et Pompeium ex itinere aggredi animum induxerit. Nam ex omnibus fere libelli nostri partibus magnopere elucet Caesarem primo quoque tempore bellum decernere voluisse et iam proelium extremum, si Pompeius sui potestatem fecisset, commissurum fuisse. Eodem capite 23 cognoscimus Caesarianos, quominus vallum ducerent, ab adversariis impeditos et repulsos esse, neque usquam commemoratum invenimus hoc opus perfectum vel Pompeium apud Ucubim vexatum esse. Immo vero ex capite 24 et 25 intellegimus utrorumque copias ad castellum Soricam et Aspaviam, quod est ab Ucubi milia passuum V, bis convenisse et Pompeianos duas clades accepisse. Cum autem Pompeius, si suo ipsius loco periculum imminuisset, certe milites non alio dimissurus fuerit, apertum est Caesaris exercitum non iam apud Ucubim fuisse collocatum. Huc accedit, quod Pompeius (cap. 27) nullo prohibente

[1]) cfr. cap. 35, ubi aliquid simile relatum reperias!

Ucubi decessit atque etiam parvum praesidium, ut urbem incenderet, relinquere ausus est. Quibus ex omnibus rebus satis est perspicuum ducem pugnandi cupidum non in conspectu hostium, sed aliquo spatio interiecto flumen transgressum esse neque Ucubim ipsam occupasse, sed aliis castellis oppugnandis Pompeium ex firmis munitionibus elicere studuisse. Cur autem Caesar a primo suo consilio destiterit, nulla alia causa est quam quod in illis rebus propositum consequi aut non potuit aut non ausus est.

Apud nostrum igitur auctorem non legimus Caesarem ab hostibus, quominus flumen transiret, prohibitum castra movisse, at multa narrat de secundis suorum certaminibus, de magnis caedibus, de summa singulorum virtute ac fortitudine. Ceterum hae laudes mihi fide non ita dignae esse videntur. Nam d u o s centuriones flumen trangressos aciem restituisse et equites trans Salsum hostes ad vallum egisse i n t r a q u e p r a e s i d i a illorum caedem facere studuisse (cap. 23) tam incredibile est, ut de tota explicatione maxime dubitem. Si vero scriptor in capite 24 extr. narrat Pompeianos interitioni duorum centurionum, qui pridie interfecti erant, clade apud Soricam accepta litasse, certo ipse confitetur Caesarianos pridie nihil, quod mortem duorum centurionum compensaret, effecisse. His de causis auctorem res Caesari ingratas quam maxime omisisse et lacunam splendidissima inanium rerum descriptione velare studuisse contendo.

In capite vicesimo sexto legimus: ‚H o c d i e A. B a e b i u s e t C. F l a v i u s e t A. T r e b e l l i u s, e q u i t e s R o m a n i A s t e n s e s, a r g e n t o p r o p e t e c t i e q u i s a d C a e s a r e m t r a n s f u g e r u n t; q u i n u n t i a v e r u n t e q u i t e s R o m a n o s c o n i u r a s s e o m n e s, q u i i n c a s t r i s P o m p e i e s s e n t, u t t r a n s i t i o n e m f a c e r e n t; s e r v i i n d i c i o o m n e s i n c u s t o d i a m e s s e c o n i e c t o s, e q u i b u s o c c a s i o n e c a p t a s e t r a n s f u g i s s e‘. Quod autem in pugna Mundensi equites Romani ad tria milia ex Pompeianis cecidisse narrantur (cap. 31), inde satis apparet non o m n e s in custodiam esse coniectos. Neque omnino cogitari potest o m n e s equites Romanos, quorum plerique summa fide usque ad id tempus Pompei studiosi fuissent, simul atque una hunc relinquere in animo habuisse. Nempe pro adiectivo ‚o m n e s‘ exspectamus ‚n o n n u l l i‘ sive ‚c o m p l u r e s‘. Quaeritur autem, utrum transfugae falsum nuntium attulerint an auctor verum corruperit.

Hoc esse factum equidem censeo. Neque enim inveniri potest, qua de causa transfugae famam, quam esse falsam nemo Caesarianorum ignoraret, pertulerint; et nostri auctoris proprium est omnia incommodo adversariorum quam maxime sive potius ineptissime extollere. Hoc loco etiam verba ‚argento prope tecti' modum excedere mihi videntur, quod nescio an nemini, cuius se salvum esse valde intererat, tantula respiciendi tempus fuerit.

Hic facere non possum, quin universam, qua transfugae in nostro libello commemorantur, rationem paucis attingam. Solito saepius auctor noster, ut pro sua incondita mente et maximas et minimas res eadem diligentia tractat, singulos ex Pompei castris ad Caesarem fugisse memoriae prodit. Confer ipse: 18,3 ‚signifer de legione prima transfugit et nuntiavit'. 19,3 ‚materfamilias .... transiliit dixitque'. 20,2 ‚loricatus unus transfugit et nuntiavit'. 27,1 ‚servi transfugerunt, qui dixerunt'. 18,5 ‚duo Lusitani fratres transfugae nuntiarunt'. 22,7 ‚servi transfugae nuntiaverunt'. Sed si quis dixerit scriptorem, ut graves nuntios significaret atque confirmaret, eos, qui attulerunt, commemorare coactum esse, huic alia exempla, ubi nihil nisi transfugas in Caesaris castra advenisse narratur, opponere possumus. 20,4 ‚loricati octo ad Caesarem transfugerunt'. 21,1 ‚equites cum levi armatura ... ad nos transfugerunt'. Quin imo nomina nobili genere ortorum diligenter enumerata nobis occurrunt: 11,2 ‚Q. Marcius, tribunus militum qui fuisset Pompei, ad nos transfugit'. 11,3 ‚C. Fundanius, eques Romanus, ... ad nos confugit', cfr. supra cap. 26,1: ‚A. Baebius et C. Flavius et A. Trebellius'.

Perfugarum autem, i. e. eorum, qui a Caesare ad adversarium defecerant, nisi ad narrationis cohaerentiam opus est, non fit mentio. Legimus enim: 6,2 ‚Id cum Pompeius ex perfugis rescisset'. 20,1 ‚Quod Pompeius ex perfugis .... scisset'. 22,8 ‚et si qui ex nostris transfugerit, in levem armaturam conici'. Nusquam totius libri scriptum invenimus hunc et illum ad Pompeium transfugisse. Si enim in capite 13,2 haec leguntur: ‚eo die A Valgius, senatoris filius, cuius frater in castris Pompei fuisset, omnibus suis rebus relictis equum conscendit et

fugit‘, non est praetermittendum locum, quo fugit, non esse significatum et causam, quare fugerit, in privatis rebus positam.

Ex hac comparatione perspicuum est inter Caesarianos et Pompeianos magnum discrimen esse factum. Etsi multum abest, ut in Caesaris secundis rebus et magna clementia plures ad eum quam ab eo fugisse negem, tamen commemorandi ratio, quam modo exposui, iniqua mihi dicenda est. Nam integri scriptoris est, si quidem eiusmodi res in libellum suum recipit, eandem diligentiam utrisque partibus praestare. Cum igitur certe ex iis locis, quos commemoravimus, appareat et quosdam Caesarianos ad Pompeium confugisse et perfugas, qui dicuntur, aliter ac transfugas libro tractatos esse, auctor a partium cupiditate haud alienus fuisse videtur.

Caesar, ut supra demonstravimus, Ucubi praetermissa pugnis apud Soricam Aspaviamque commissis transitum fluminis Salsi effecit, ut ei aditus totius inferioris Baeturiae pateret. Cuius regionis urbes et magno periculo, quod ab illo impendebat, perterritae et prospero eius successu commotae partim a Pompeio defecerunt Caesarianosque intra muros receperunt, partim a Pompeio auxilium petisse et universae rei dimicationem postulasse videntur. cfr. Dion. Cass. XLIII.35 ‚ἐκείνης δὲ δὴ τῆς πόλεως (Ἀττεγούας) ἁλούσης οὐκέτ᾽ οὐδ᾽ οἱ ἄλλοι ἠτρέμιζον, ἀλλὰ πολλοὶ μὲν αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα πρεσβευσάμενοι μεθίσταντο, πολλοὶ δὲ καὶ ἐπιόντα αὐτὸν τούς τε ὑποστρατήγους αὐτοῦ ἐδέχοντο, ὥστε τὸν Πομπήιον ἀπορήσαντα ὅτι χρὴ πρᾶξαι, τὸ μὲν πρῶτον ἄλλοτε ἄλλῃ τῆς χώρας μεθιστάμενον πλανᾶσθαι, ἔπειτα δὲ φοβηθέντα μὴ καὶ ἐξ αὐτοῦ τούτου καὶ οἱ λοιποὶ αὐτὸν ἐγκαταλίπωσι, διακινδυνεῦσαι ἐθελῆσαι‘ et caput 27 nostri auctoris, ubi legimus Ventiponem, simul a Caesare oppugnari coepta sit, deditionem fecisse et Carrucam contra Pompei praesidia portas clausisse. Ursaonenses quidem, qui Pompeio fidem praestabant, magnam belli diuturnitatem inique tulisse et supremum certamen vehementer desiderasse, inde satis est perspicuum, quod Pompeius epistola Ursaonem data causam ambigui belli in exercitum tironem Caesaris conferre magnopere studet et primo quoque tempore se bellum confecturum esse promittit (cfr. cap. 26).

Itaque mihi persuasum est Pompeium, ne auctoritatem iam valde minutam plane amitteret, illis rebus bellum pugna decernere prorsus

coactum fuisse. Ex eadem causa Appianum, qui bell. civ. lib. II,103 haec tradit: ‚ᾧ δὴ καὶ μάλιστα σφαλεὶς ὁ Πομπήϊος οὐκ ἀνεβάλλετο τὴν μάχην, ἀλλ᾽ εὐθὺς ἐλθόντι τῷ Καίσαρι συνεμάχετο. καίτοι τῶν πρεσβυτέρων αὐτῷ παραινούντων, ἐκ πείρας ὧν ἀμφί τε Φάρσαλον καὶ Λιβύην ἐπεπόνθεσαν, ἐκτρίβειν τῷ χρόνῳ τὸν Καίσαρα καὶ ἐς ἀπορίαν, ὡς ἐν ἀλλοτρίᾳ γῇ περιφέρειν et his verbis Pompeium audacia quadam ac temeritate adversarios proelio lacessisse accusat, magno errore captum teneri arbitror.

Etiam superstitiosus ille Dio Cassius, etsi Pompeium in angustiis fuisse concedit (vide pag. 67), pugnam infaustis ominibus vitandam fuisse censet et illi duci tamquam pertinaciam atque impietatem exprobrat. Confer hunc locum XLIII,35: *διακινδυνεῦσαι ἐθελῆσαι, καίτοι τοῦ δαιμονίου τὴν ἧτταν ἐναργέστατα αὐτῷ προσημήναντος. οἱ μὲν γὰρ ἱδρῶτες τῶν ἀγαλμάτων καὶ αἱ ἠχαὶ τῶν στρατοπέδων, τά τε ζῶα ἃ πολλὰ παρὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐγεννήθη, καὶ αἱ δᾷδες αἱ πρὸς τὰς δυσμὰς ἐκ τῶν ἀνατολῶν ᾄττουσαι (ταῦτα γὰρ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ τότε ἅμα πάντα συνηνέχθη) σαφὲς οὐδέν, ὁποτέροις σφῶν προφαίνοιτο, διεδήλου. οἱ δὲ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ τάς τε πτέρυγας σείσαντες καὶ τοὺς κεραυνούς, οὓς ἐν τοῖς ποσί τινες αὐτῶν χρυσοῦς ἔφερον, ἐκβαλόντες ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐνέσκηπτον καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο. ἀλλ᾽ ὅ γε Πομπήιος ἔν τε ὀλιγωρίᾳ τὸ δαιμόνιον ἐποιήσατο, καὶ ὁ πόλεμος πρὸς μάχην δὴ κατέστη.* Sane verisimile est eo tempore mirabiles res in caelo alibique esse animadversas atque adeo verba auctoris nostri cap. 27 ‚luna hora circiter sexta visa est‘ eo spectare, sed non minus certum est omnia haec portenta ad pugnae Mundensis eventum accomodata, pleraque omnino ab hominibus miraculorum cupidis excogitata esse. Unde fit, ut hanc quoque narrationem Dionis repudiem et his verbis nostri auctoris cap. 28 ‚Idcirco enim copias eduxerat, quod Ursaonensium civitati, qui sui fuissent fautores, antea litteras miserat, Caesarem nolle in convallem descendere, quod maiorem partem exercitus tironem haberet‘ optime veram proelii causam declaratam esse existimem.

Quantopere auctor ambiguas atque adversas res Caesaris splendidis verbis velare atque in melius vertere studuerit, ex pugna Mun-

densi descripta maxime intellegi potest, cum libros aliorum scriptorum accurate comparare possimus.

Postquam tribus capitibus (28, 29, 30) copiosissime expositum est, quae fuisset regionis natura, ubi et quomodo utraeque copiae fuissent dispositae — videlicet ut, quae loci difficultates Caesarianis superandae fuissent, sentiremus — capite 31 pugna ipsa narratur. Constat proelium apud Mundam Caesari atrocissimum periculosissimumque fuisse, ut ipse postea haec verba fecisse dicatur: ‚ὅτι πολλάκις μὲν ἀγωνίσαιτο περὶ νίκης, νῦν δὲ καὶ περὶ ψυχῆς‘ App. bell. civ. II,104. cfr. Plutarch. vit. Caes. 56. Omnes rerum scriptores consentiunt Caesarianos, cum Mars diu fuisset dubius, impetum adversariorum non de victoria, sed de vita certantium non iam sustinuisse et resistere coepisse. Quare Caesarem ipsum salute desperata de extremis secum agitasse et galea deposita, ut suos verbis et exemplo forti cohortaretur, contra hostes procurrisse et aciem restituisse.

Apud Appianum bell. civ. II,104 leguntur haec: ὡς δέ, καὶ συνιόντων ἤδη τοῦ Καίσαρος στρατοῦ τὸ δέος ἥπτετο, καὶ ὄκνος ἐπεγίγνετο τῷ φόβῳ, θεοὺς πάντας ὁ Καῖσαρ ἱκέτευε, τὰς χεῖρας ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνίσχων, μὴ ἑνὶ πόνῳ τῷδε πολλὰ καὶ λαμπρὰ ἔργα μιῆναι καὶ τοὺς στρατιώτας ἐπιθέων παρεκάλει.

Plutarchus vit. Caes. 56 haec confirmat: ἐν ᾗ (μάχῃ) Καῖσαρ ἐκθλιβομένους ὁρῶν τοὺς ἑαυτοῦ καὶ κακῶς ἀντέχοντας ἐβόα διὰ τῶν ὅπλων καὶ τῶν τάξεων διαθέων, εἰ μηδὲν αἰδοῦνται λαβόντες αὐτὸν ἐγχειρίσαι τοῖς παιδαρίοις.

Eadem tradit Velleius Pat. hist. Rom. II,55 ‚sed nullum unquam atrocius periculosiusque ab eo initum proelium, adeo ut plus quam dubio Marte descenderet equo consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum servasset exitum, denuntiaret militibus vestigio se non recessurum; proinde viderent, quem et quo loco imperatorem deserturi forent.

et Florus Epitom II,13 (IV,2) ‚Novissime inusitatum Caesaris oculis nefas: post quattuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit, Quos, etsi nondum fugerant, apparuit tamen, pudore magis quam virtute resistere. Itaque ille ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit.

et Orosius VI,16 ‚tantaque caedes acta, ut Caesar quoque veteranis etiam suis cedere non erubescentibns cum caedi cogique aciem

suam cerneret, praevenire morte futurum victi dedecus cogitarit, cum subito versus in fugam Pompeiorum cessit exercitus.'

et Eutropius VI,24 (VI,19) ,ultimum (proelium) apud Mundam civitatem, in quo adeo Caesar paene victus est, ut fugientibus suis se voluerit occidere'.

et Suetonius vit. Caes. 36: ,cum (pugna Mundensi) desperatis rebus etiam de consciscenda nece cogitavit'.

Dio Cassius autem utrumque imperatorem dubio Marte pugnasse narrat XLIII,37 ,*ἀντιπάλου γὰρ τῆς μάχης οὔσης ταῖς τε ὄψεσι δεινῶς ἔκαμνον, ἐπιθυμοῦντές τι ἰδεῖν πλεονέκτημα καὶ ὀκνοῦντές τι ἰδεῖν ἐλάττωμα, καὶ ταῖς ψυχαῖς εὐχόμενοί τέ τι ἅμα καὶ ἀπευχόμενοι καὶ ῥωννύμενοι καὶ φοβούμενοι. οὔκουν οὐδ' ἠδυνήθησαν ἐπὶ πολὺ καρτερῆσαι, ἀλλὰ καταπηδήσαντες ἀπὸ τῶν ἵππων συμετέσχον αὐτῆς*'. Etsi hic paululum ab aliorum narratione differt, tamen rem ipsam confirmat.

Profecto Caesari contigit, ut animos suorum inflammaret aciemque restitueret, sed victoriam ipsam secundo quodam casu deportavit. Cum enim Bogudus Caesaris socius Pompeianos circumisset eorumque castra petiisset, Labienus cum quinque cohortibus castris subsidio veniebat, quae cohortes fugae speciem praebebant, ut Caesariani se victores haberent, Pompeiani suos fugere rati se in fugam darent. Cui narrationi, etsi nemo nisi Dio Cassius XLIII,37 et Florus epit II,13 eam exhibet, tamen fides est danda, cum omnes alii scriptores proelii eventum accuratius scribere omiserint. Praeterea res ipsa rationi et usui militari ita satisfacit, ut viris belli gerendi peritissimis valde probetur. Napoleon quidem de hoc eventu sic iudicat (Uebersicht der Kriege Cäsars von Napoleon, niedergeschrieben von Marchand, übers. Stuttgart 1836 pag 191 und 192). ,Cäsar schien verloren, er veränderte die Front der zehnten Legion, konnte aber nicht wieder zurechtkommen; da überfiel König Bogud mit seinen Numidern das Lager des Pompeius. Labienus entsandte fünf Cohorten dem Lager zu Hilfe. Diese rückgängige Bewegung in so kritischem Augenblicke entschied den Sieg. Die alten Soldaten meinten, der Feind sei auf dem Rückzuge und griffen doppelt hitzig an, die Völker des Pompeius meinten auch, man ziehe sich zurück und verloren den Muth. Die Bewegung des Labienus, die übrigens ganz am Orte war, gab den Ausschlag.

Quid autem nostro libello proditum reperimus? Sane auctor concedit pugnam fuisse atrocem, hostes loco superiore tam acriter se

defendisse, ut Caesariani prope victoriae diffiderent, sed nihil audimus de Caesarianorum recessu, nihil de Caesaris metu atque facto, nihil de Bogudi impetu et mirabili proelii exitu. E contrario multis ac tumidis verbis narratur hostes pilorum missu maximum detrimentum accepisse et eximia virtute suorum, inprimis decumanorum, fusos et fugatos esse. Ceterum scriptor tunc ipsum, cum proelium aliquamdiu fuisse ambiguum refert, causam non in virtute adversariorum, sed in loci natura ponit. Imo aperte contendit suos virtute, loco adversarios superiores fuisse. Ex antecedentibus capitibus perspicuum est primo inter utraque castra planiciem palustrem et voraginosam, quam rivus perfluebat, interfuisse (cap. 29), Pompeium autem, cum Caesariani progressi inicum in locum appropinquassent eumque ‚ne quid temere culpa secus admitteretur' iussu Caesaris definissent, opinione adversarios timore impediri ad committendum proelium se efferentem iniquo loco sui potestatem fecisse, ut magno tamen periculo accessus eorum haberetur (cap. 30). Scriptor igitur ipse locum, ubi Pompeiani sui postestatem faciebant, inicum nominat, quo nomine certe non usus esset, si loco superiore illi se defendissent. Mea quidem sententia difficile erat ad Pompeianos accedere, non quod multo superiorem locum obtinebant, sed quod solum palustre et voraginosum erat; quae natura inprimis equitatui, in quo Caesaris maximum robur nitebatur (cap. 30), noxia erat. Itaque mihi persuasum est proelium non in iugo, sed sub montis radices esse commissum neque Pompeianos loco multum praevaluisse.

Si vero auctor confirmat Caesarianos virtute antecessisse, non minus a vero abhorrere videtur. Nam ex omnibus locis, quos supra commemoravimus, apparet Caesaris milites in hac pugna opinione timidiores ac tardiores fuisse et pudore magis quam virtute pugnasse. Dio Cassius autem claris verbis contendit Pompeianos numero et usu militari inferiores, desperatione rerum incitatos animo superiores fuisse[1]). Ceterum auctor ipse in capite 29 scribens ‚nostri

---

[1]) cfr. Dio XLIII,$_{36}$ οἵ τε γὰρ Καισάρειοι στρατιῶται τῷ τε πλήθει καὶ τῇ ἐμπειρίᾳ καὶ παρὰ πάντα τῇ αὐτοῦ ἐκείνου παρουσίᾳ θαρσοῦντες ἀπαλλαγῆναί ποτε τοῦ τε πολέμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ κακῶν ἐσπούδαζον, καὶ οἱ Πομπήειοι τούτοις μὲν ἐλαττούμενοι, τῇ δ'ἀπογνώσει τῆς σωτηρίας, ἂν μὴ κρατήσωσιν, ἐρρωμένοι προεθυμοῦντο'.

laetari, nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortunaeque omnium deducerentur' .. significare videtur multos Caesarianos magno angore et pavore captos fuisse. His omnibus rebus satis efficitur illas condiciones — haudquaquam veras — ad virtutem adversariorum minuendam esse inventas.

De proelii exitu traduntur haec: cap. 31 extr.: ‚In quo proelio ceciderunt milia hominum circiter XXX et si quid amplius, praeterea Labienus, Attius Varus .... itemque equites Romani partim ex urbe partim ex provincia ad milia III. Nostri desiderati ad hominum mille partim peditum partim equitum, saucii.... adversariorum, aquilae sunt ablatae XIII et signa et fasces praeterea hos habuit'. Postquam autem diu Marte dubio summa cum contentione et acerbitate pugnatum atque adeo atrocissimam caedem factam esse vidimus [1]), quis est, qui non plus quam mille Caesarianos cecidisse credat? — Quod Plutarchus (vit. Caes. 56) [2]) eosdem occisorum numeros exhibet, inde non certe apparet eos esse veros, cum incertum sit, an hic auctore belli Hispaniensis aliquam quidem partem usus sit. Quia enim Plutarchum et in numero caesorum et in die pugnae indicando (*τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ*), quae res ab aliis scriptoribus aut silentio omittuntur aut diverse traduntur, mirum in modum cum nostro auctore consentire videmus eundemque bello Africano usum esse Froehlichius (Bell. Afr. p. 95 ff.) demonstravit, iure Peteri sententia: ‚Ebensowenig wie Caesars Commentarien scheinen die Schriften, die aus dem Kreise seiner Umgebung hervorgegangen und uns erhalten sind, benutzt zu sein'. (Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer. Halle 1865 p. 127) ita coartanda ac corrigenda videtur, ut illum nonnullis quidem rebus etiam nostrum auctorem secutum esse dicamus. At Dio Cassius utrobique cladem fuisse magnam his verbis prodit: XLIII,38 *τοσοῦτο δ'οὖν τὸ σύνολον τῶν Ῥωμαίων πάθος ἑκατέρωθεν ἐγένετο,*

---

[1]) cfr. Dio Cass. XLII,37 . . τοσοῦτο μόνον ἑκάτεροι βοῶντες ‚παῖσον, ἀπόκτεινον', πολὺ τῷ ἔργῳ τὰς γλώσσας σφῶν ὕφθανον . . .

[2]) cfr. Plut. vit. Caes. 56: ‚ἐκείνων μὲν ὑπὲρ τρισμυρίους διέφθειρε, τῶν δ' αὑτοῦ χιλίους ἀπώλεσε τοὺς ἀρίστους.

ὤστ' . . . Quamobrem Drumanno [1]) dicenti hunc numerum esse minorem assentior.

Numeri autem, qui ad Pompeianos pertinent, modum excedere mihi videntur. Constat apud Mundam vires Pompei et obtritas et disiectas esse, neque negari postet plurimos Pompeianos esse occisos, multitudinem tamen mortuorum exaggeratam esse arbitror. Ad hanc sententiam meam demonstrandam plura repetere mihi liceat. Dubium non est, quin ei Pompeiani, qui in proelio caedem effugerant, non omnes in oppidum Mundam se receperint, sed in omnes Hispaniae partes dissipati sint. Exempli gratia proferam Cn. Pompeium ipsum, qui cum paucis equitibus nonnullisque peditibus Carteiam contendit (cap. 32). In firmam Cordubam non solum Valerium adolescentem cum paucis equitibus fugisse (cap. 32), sed maiores copias elucet ex loco capitis 33: ‚Qui ex caede eo refugerant, pontem occuparunt'. Porro in capite 34 legimus: ‚Hoc cum animadverterent homines fugitivi, oppidum incendere coeperunt. Qui superati a nostris sunt interfecti hominum milia XXII, praeterquam extra murum qui perierunt'. Cum autem fugitivi ii tantum, qui revera fugerunt, nominari possint, consequens est circiter XX milia ad Cordubam ex proelio se recepisse. Quodsi ad haec XXII milia addimus XIV milia hominum, qui expugnata Munda interfecti sunt (cap. 41) et plus XXXIII milia militum, qui in pugna ipsa ceciderunt — ut omnes alios praetereamus — invenimus Pompeium plus LXX milia contra Caesarem produxisse.

Conferamus caput 30, ubi quantae vires inter se pugnaverint, demonstratur. ‚Erat acies XIII aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur cum levi armatura milibus sex, praeterea auxiliares accedebant prope alterum tantum; nostra praesidia LXXX cohortibus et X milibus equitum. Cum igitur incredibile sit Caesarem in tali tempore cum octo legionibus contra tredecim aeque plenas legiones pugnare ausum esse et in tanta adversariorum fortitudine victoriam deportasse; deinde cum auctor noster, qui nihil praetermittit, quod difficultates victoriae ideoque gloriam victorum augeat, hostes quidem loco supe-

---

[1]) Drumann, Geschichte Roms III pag. 638 ‚Auf der andern Seite zählte man nur 1000 Todte und 500 Verwundete, doch ist diese Angabe ohne Zweifel zu gering.

riores fuisse commemoret, sed nusquam in numerorum discrimine ullum victoriae impedimentum ponat; tum vero Dio Cassius vel contrarium proferat ‚Pompeianos numero fuisse inferiores[1]', ex his causis certo apertum est Pompeium haudquaquam XIII plenas legiones habuisse, sed eius copias si non minores, tamen non multo maiores fuisse quam Caesaris. Hic autem, etsi cohortes sexcenum[2]) militum fuisse concedo, non plus XLVIII milibus peditum et novem milibus equitum praefuisse videtur, ut tota summa esset LVII milium. Quodsi Pompei vires circiter pares erant, neminem fugere potest numeros et Pompeianorum in proelio caesorum et duabus urbibus expugnatis oppressorum iniuria esse auctos.

Neque omnino in numeris caesorum significandis auctori summa fides est habenda. Illa verba capitis 4 ‚sicuti ex infinita hominum multitudine pauci in oppidum se reciperent' a veritate maxime discrepare iam supra demonstravi; neque minus est mirum in pugna, quae Caesarianis necopinantibus inita est (cap. 15), etsi hi splendidissimam victoriam deportaverunt, adversarios CXXIII cecidisse — Caesarianos autem tres tantum (cap. 15).

De reliquis rebus, quae nostro libello cap. 32 — 42 traduntur, pauca sunt commemoranda, cum et omnes ipsae per se ad credendum facillimae et pleraeque litteris aliorum scriptorum confirmatae sint. Inprimis Dio Cassius XLIII,38 et 39 auctor est: Mundam armis caesorum cadaveribusque circumvallatam[3]) et post longiorem demum oppugnationem captam esse[4]); Cordubam, quo in oppido Scapulam totius seditionis caput (cfr. B. H. cap. 33) sibi mortem conscivisse Appianus bell. civ. II,105 probat, discordia inter oppidanos et fugitivos orta expugnatam; Hispalim, quae urbs in Caesarianos perfidissime egerat, per dolum esse recuperatam aliasque civitates partim sua sponte partim

---

[1]) cfr. Dio. Cass. XLIII,38 οἵ τε Καισάρειοι στρατιῶται τῷ τε πλήθει καὶ τῇ ἐμπειρίᾳ .... θαρσοῦντες, ... οἱ δὲ Πομπήειοι τούτοις μὲν ἐλαττούμενοι.

[2]) cfr. Marquardt, röm. Staatsv. II,434.

[3]) cfr. Florus epitom. II,13; Val. Max. VII,6,5; Appian. bell. civ. II,105, qui cum proelium apud Cordubam esse commissum falso existimet, eandem urbem hoc modo circumclusam refert.

[4]) cfr. Oros. VI,16.

coactas in deditionem venisse. Idemque scriptor memoria prodit XLIII,39 et 40 Sextum Pompeium Cordubam suo tempore reliquisse[1]; Cnaeum saucium ex proelio Mundensi Carteiam profugisse, sed tumultu concitato in altum provectum et inde reversum in interiorem Hispaniam se contulisse atque in deserto interfectum esse[2]. Hactenus Dio Cassius cum nostro auctore, praeterquam quod hic singula multo copiosius atque accuratius exponit, optime consentit. Cum autem XLIII,40 haec scribit: *καὶ ὁ Δίδιος ἀγνοῶν τε τοῦτο* (Cn. Pompeium esse occisum) *καὶ πλανώμενος ὡς καὶ συμμίξων που αὐτῷ, συνέτυχεν ἑτέροις τισὶ καὶ ἀπώλετο*', aperte discrepat. Noster enim scriptor capite 40 narrat Didium interfecto Cn. Pompeio adolescente illa affectum laetitia in proximum castellum se recepisse nonnullasque naves ad reficiendum subduxisse, sed a Lusitanis circumventum et oppressum esse. Aut hunc aut illum errore esse implicatum perspicuum est. Quod autem Cn. Pompeius, quem in terram interiorem profugisse Didium non effugerat[3], nisi terra consequendus non fuit neque verisimile est Didium, qui classi praeerat[4], navibus relictis terra pervagatum esse, nostri auctoris narrationem iudicare rectam non dubito. Huc accedit, quod Caesennius Lento Pompeium persequendum suscepit et interfecti caput Caesari attulit, ut quare Didius eum investigare studuerit, non sit intellegendum. Sane apud Plutarchum vit. Caes. 56 scriptum legimus: ‚*τοῦ δὲ πρεσβυτέρου μεθ' ἡμέρας ὀλίγας Δείδιος ἀνήνεγκε τὴν κεφαλήν*', sed cum et Dio ipse XLIII,40 et Florus, epit. II,13 et Oros. VI,16 inter se congruentes referant Caesennium esse Pompei interfectorem idemque Cicero Phil. XII,9 indicare videatur[5], illum auctorem falsa protulisse censeo. Itaque in hac re nostro scriptori summa fides est danda.

---

[1]) Sextum se servasse narrant etiam Appian. bell. civ. II,105; Plut. Caes. 56; Flor. ep. II,13.

[2]) cfr. App. bell. civ. II,105; Plut. Caes. 56; Vellei. Pat. II,65; Florus Epit. II,13; Oros. VI,16.

[3]) cfr. cap. 37 ‚Didius classe accurrit, naves incendit, nonnullas capit. Pompeius cum paucis profugit et locum quendam munitum natura occupat' etc.

[4]) cfr. cap. 37; Florus, Epit. II,13; Dio Cass. XLIII,31.

[5]) Cic. Phil. XII,9 Scimusne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Caesenni septemviralis auctoritas? — Quis igitur mihi praestat Lentonem uno capite esse contentum?

Maxime autem mirum est nullo totius libri loco quidquam esse relatum, quomodo Caesar victis Pompeianis in civitates Hispanienses, quae ab adversariis steterant, consuluerit. Legimus enim nihil aliud nisi hanc et illam urbem plurimis interfectis militibus esse expugnatam, aut legatos ab singulis oppidis ad deditionem esse missos. Nusquam scriptum invenimus urbem esse dirutam, oppidanos sub corona venditos, Caesarem obsides vel quidquam aliud imperasse. Sane negari non potest hunc in bellis civilibus clementia quadam ac mansuetudine usum esse et in adversarios devictos leniter animadvertisse, tamen non minus constat Caesarem in Africa illis urbibus, quae sua sponte in deditionem venerant, magna tributa imposuisse atque bona eorum, qui sub Iuba Petreioque ordines duxerant vendidisse (cfr. bell. Afr. cap. 97). Itaque manifestum est eum Hispanienses, quippe quibus non parum propter defectionem succenseret (cfr. cap. 42), haud maiore clementia tractasse. Profecto Dio Cassius XLIII,39 dilucide explicat Caesarem iis oppidis, quae legatos miserant, et tributa imposuisse vel auxisse et bona eripuisse, ut ne Herculis quidem donis Gades collatis parceret. Sed si ita in deditícios se gessit, apparet eas urbes, quae vi captae erant, etiam maiore poena esse affectas[1]). Idemque Dio Cassius tradit Corduba et Hispali expugnata armatos esse concisos, ceteros sub hasta veniise[2]) (ἐξηργυρίσατο). Neque dubium est, quin singulae Pompei studiosae urbes dirutae atque solo aequatae sint, quod varia urbium nomina ut Munda, Ategua, Aspavia, Sorica in geographicis fontibus posterioris aetatis non scripta leguntur[3]). Hanc sententiam confirmat Plinius n. h. III,1,12 hisce verbis: ‚inter quae fuit Munda cum Pompei filio rapta'

---

[1]) Dio Cass. XLIII,39 ‚τὰ μὲν ἀκούσια σὺν πολλῷ φόνῳ, τὰ δὲ καὶ ἐθελούσια παρέλαβε καὶ ἠργυρολόγησεν, ὥστε μηδὲ τῶν τοῦ Ἡρακλέους ἀναθημάτων τῶν ἐν τοῖς Γαδείροις ἀνακειμένων φείσασαι, χώρας τε τινῶν ἀπετέμετο καὶ ἑτέροις τὸν φόρον προσεπηύξησεν'.

[2]) XLIII,39 καὶ ὃς τοὺς μὲν ἐν τοῖς ὅπλοις ὄντας ἀπέσφαξε, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐξηργυρίσατο. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ τοὺς τὴν Ἴσπαλιν ἔχοντας ἔδρασεν.

[3]) cfr. Hübner Jahrbücher f. klass. Philol. VIII. Wo lag Munda? p. 39. ‚Nach Ruinen von Munda darf man aber nicht suchen: denn nach des bellum Hisp. (41), Strabons III,2,12 und Plinius III,1,12 Angaben ist mit ziemlicher Sicherheit anzunehmen, dass Q. Jabius Maximus Munda zerstört hat. Später wurde es nicht wieder aufgebaut. — Ebenso gieng es den übrigen Städten der Pompeianischen Partei: von Ategua Sorica, Asp avia und wahrscheinlich Carruca ist nicht wieder die Rede.'

et scriptor noster ipse, qui in capite 41 refert a Munda materiam ad Ursaonem deportatam esse. Quam materiem non extra urbem Mundam, sed in urbe ipsa collectam esse perspicuum est ex capite 32 et ex Val. Max. VII,6. Itaque hanc quidem urbem a Fabio Maximo esse deletam maxime verisimile est.

Haec omnia apud nostrum auctorem desiderantnr. Neque tamen idem unquam praetermittit, quin Pompeianos in oppidanos severe consuluisse vel urbem incendisse referat. Ita audimus Ateguenses et Ucubenses Caesaris studiosos trucidatos esse et oppida Ucubim Carrucam, Cordubam ab adversariis esse incensa. cfr. capita 15, 21, 27, 34. Videmus igitur eadem, quae de adversariis diligentissime produntur, de Caesarianis silentio omitti; id quod consulto esse factum quis est, qui neget? Sane extrema pars orationis, quam Caesar contione Hispalim advocata habuit, nescio quomodo perdita est neque sine aliquo iure Drumannus (Gesch. Roms. III, 642) coniecit Caesarem hoc loco fidis praemia, poenas perfidis constituisse. Sed etsi concedo orationem hoc modo esse conclusam, plerasque tamen res, quas supra commemoravimus, nunquam in nostro libro scriptas exstitisse arbitror; quare auctor crimine libidinis non est absolvendus.

Orationes ipsas, quae capite 17 et 42 traditae sunt, nimis altas atque exaggeratas esse priore parte demonstravi. Multum abest, ut integro scriptori totam orationem verbo tenus esse repetendam velim, verum meo iure postulare mihi videor, ne oratori verba, quae ab eo aliqua de causa abhorrent, unquam supponantur. Quamobrem satis habeo, illa, quae aut moribus aut rebus Caesaris contradicunt, commemorare. Atque primum verba: ‚an me deleto non animadvertebatis (decem) habere legiones populum Romanum, quae non solum vobis obsistere, sed etiam coelum diruere possent‘ tam inepte amplificata sunt, ut nunquam adducar Caesarem, qui semper et ubique moderatione quadam et temperantia utebatur, quidquam simile loqui potuisse; deinde incredibile est Caesarem, ut Hispanorum iniurias declararet, istius Cassii, quem propter avaritiam et crudelitatem non minus Caesarianis quam Pompeianis odio fuisse et ipsum, quanta scelera admisisset, conscium adventu Trebonii a Caesare missi fugisse satis perspicuum est ex bello Alex. (cap. 59 et 64) nominatim mentionem fecisse eumque quasi innocentem victimam con-

tumeliis illorum obnoxium induxisse. Istius hominis memoria oratoris rebus magis obfuisset quam profuisset. Itaque sententia mea est haec: Caesarem communibus verbis perfidiam Hispanorum et iniurias magistratibus Romanis illatas descripsisse, auctorem autem Cassii memorem — bona fide — hoc nomen in orationem recepisse.

Excussis igitur omnibus, qui aliquam offensionem mihi movent, locis apparet auctorem belli Hispaniensis in rebus narrandis non plane a partium studio alienum esse, cum et Caesarianis nimis faveat et Pompeianorum famae saepe iniuria obtrectet. Is enim non solum nullam occasionem oblatam dimittit, quin suorum virtutem atque constantiam amplissimis laudibus efferat, sed etiam rebus, quae minus favorabiles sunt, omittendis aut falsis fallacibusque causis afferendis aut numeris in maius extollendis gloriam Caesarianorum servare atque augere studet. Nusquam nostro libello traditum invenimus Caesarem infecta re Uliam reliquisse, inferiorem ab Corduba discessisse, apud Ucubim a fluminis transitu necessarie abstinuisse suosque in Mundensi pugna retrocedentes vidisse. Etiamsi concedit Caesarianos aliquid detrimenti accepisse, rebus tamen ita depingendis, ut ne minima quidem macula suorum dignitati aspergatur, summam operam dat.

Contrarium studium in Pompeianos adhibitum detegimus. Neque enim auctor satis habet omnes calamitates, omnes iniurias aliaque omnia, quae hominum animos avertunt, copiosissime exponere, sed etiam vera gravibus rebus et adiciendis et detrahendis adversariorum incommodo corrumpit et depravat. Casum fortunamque in omnibus rebus, quas Pompeianis bene cessisse confitetur, plurimum valuisse demonstrat neque unquam iis laudem virtutis tribuit. Ubi autem adversariorum clades referuntur, quamquam loci natura defendebantur et numero militum praestabant et aliis causis praevalebant, eos tamen perterritos in fugam se dedisse semel et saepius declaratur, ut virtute et robore haudquaquam Caesarianis pares esse videantur et ad pessimam famam proferantur. Inprimis vero, quidquid ad avaritiam crudelitatemque pertinet, magna cum libidine atque cupiditate traditur, augetur, depravatur. Quas res, cum omnes summo consensu eodem spectent, neque fortuito natas neque ex peculiari scriptoris ingenio exortas, sed consulto et de industria effectas esse non amplius argumentis confirmandum est.

Ac tamen scriptor, etsi Caesaris studio nimis indulget maioremque aequitatis veritatisque iacturam facit, omnibus, qui res in Hispania tum gestas perquirere et hanc civilis belli partem tractare animum inducunt, consilio adhibendus atque adeo princeps auctor iudicandus est. Nam non solum ea, quae etiam apud Dionem XLIII,28 — 42 vel Appianum, bell. civ. II,103 — 105 vel Plutarchum, vit. Caes. 56 vel Velleium, II,55 vel Florum, epit. II,13 tradita leguntur, multo accuratius copiosiusque narrat et explicat ac praecipue naturam locorum et temporis momenta diligentissime significat, sed etiam multa, quae apud alios plane desiderantur, memoria prodit. cfr. cap. 20—27. Quamvis autem singula suorum commodo indulgens mutaverit, auxerit minuerit, tamen ne unam quidem rem per se ipsam mente fictam et excogitatam esse demonstrari potest. Itaque libellum nostrum historicis haudquaquam neglegendum, at iudicio quodam adhibendum et ex aliis auctoribus corrigendum et supplendum esse equidem arbitror.